EPITOMA VATICANA

EX

APOLLODORI BIBLIOTHECA

EDIDIT

RICHARDUS WAGNER.

ACCEDUNT

CURAE MYTHOGRAPHAE

DE

APOLLODORI FONTIBUS

ET

EPIMETRUM

PRAEFATIONEM BORBONICAM AD HOMERI ILIADEM

CONTINENS.

LIPSIAE

APUD S. HIRZELIUM

MDCCCXCI.

PIIS MANIBUS

AEMILII KUHN

PATRUI OPTIMI

SACRUM.

PRAEFATIO.

> Apollodori libros in antiquis codicibus Italicis ita scriptos inveniri accepimus, ut, si cum editionibus isti codices comparentur, scriptorem hunc vix sui similem habituri simus.
>
> G. Hermann, praef. ad Hymn. Hom. p. XLV.

Boni ominis gratia iuvat ordiri ab hoc dicto viri summi; qui, undecumque haec notitia ad eum pervenit, admirabile illud divinationis acumen, quo ceteroqui excelluit, hic quoque praestitisse mihi visus est, postquam in bibliotheca Vaticana eum quem nunc editurus sum codicem repperi. Nam cum ante hos sex annos, Graeciam feliciter peragratus, Romae mythographis Graecis pervestigandis incumberem atque mirum quantum desudarem in Palaephati libris quibusdam, ut iam paene abiecturus essem totam hanc materiam, ecce, a nescio quo Vaticano 'Angelo' — sic omnes in Italia audiunt famuli — ad manus meas delatus est libellus satis male habitus, quem 'fabulas poeticas et quaedam grammaticalia ex Eustathio sine principio et fine' continere praedicabat catalogus. Huius codicis priorem partem excerpta ex Apollodori q. f. bibliotheca complecti statim cognovi (quod et ante quattuor fere saecula Ianum Parrhasium et nostra memoria Angelum Mai fugerat), simulque ex archetypo multo meliore quam omnes bibliothecae codices ea derivata esse mihi constabat. Itaque hanc epitomam cum Apollodori textu conferre coepi atque in dies magis admirabar codicis praestantiam, ex quo haud exiguam partem innumerabilium fere corruptelarum, quibus bibliothecae textus inquinatus est, emendare iuvabat.

Attamen quanti essent haec excerpta, tum primum eluxit, cum epitomatorem perspexi in exemplari suo eam quoque bibliothecae partem, quam temporum iniquitate nobis ereptam esse adhuc aegre ferebamus, integram perhibuisse. Namque in medio fol. 36[r], Sinidis caede enarrata, in quam bibliotheca nostra desinit, excerptor ne minimum quidem haesitans pergit ad sequentem Thesei laborem atque reliquam huius herois vitam describit usque ad finem fol. 38[v]. Deinde ad Tantali progeniem progressus, postquam Tantalo et Brotea commemoratis Pelopis eiusque filiorum fata uberius exposuit, ad belli Troiani primordia pervenit, cuius historia usque ad Menelai reditum continuata novem integra folia (40[v]—49[v]) explet. Iam cum novam rerum Troicarum enarrationem in lucem protraxisse per se operae pretium esse videretur, multis modis harum eclogarum fides atque auctoritas eo aucta est, quod cum Procli excerptis ex carminibus cyclicis eas artissime cohaerere mox observavi, id quod in commentatione Musei Rhenani vol. XLI (p. 134—150) inserta interim paucis exposui.

Itaque reduci in patriam duplici munere mihi erat fungendum, quorum alterum erat, ut verba epitomae ex servata bibliotheca et collationibus meis restituta ederem. Atque quo minus tali in opere menda evitari poterant, eo maiores grates agendae sunt Augusto Mau, qui textum a me sic compositum denuo cum codice Vaticano diligentissime, ut solet, contulit. In hoc textu ea tantum correxi, quae ipsorum excerptorum librariis tribuenda sunt vitia, ut genuina epitomae forma, qualis quondam ex Apollodoro derivata est, evaderet. In apparatum autem omnia recepi, quae aut melius in epitoma tradita sunt quam in bibliotheca, aut in utroque fonte corrupta, signaque diacritica, ubi certum iudicium facere licebat, adieci, ut, quae ratio critica inter Vaticanum nostrum et Apollodori codices intercedat, quivis facile perspiciat, etiamsi nullam mythographi editionem evolverit. Ac profecto multum lucri apportamus bibliothecae textui; nam ducentis quinquaginta locis epitoma nostra meliorem scripturam quam codices bibliothecae praebet, ex quibus decem fere et centum novae emendationes eminent. Etiam in novis excerptis nulla nisi molestissima menda libra-

riorum ex textu in calcem paginarum relegavi, reliquas emendationes meas subscribere malui. Nec non adscripsi quae alibi exstant fragmenta ac testimonia Apollodorea, ut, quae ex amissa bibliothecae parte supersint, sub uno conspectu posita invenias.

Apparatui adnotationes quasdam uberiores subiunxi, quibus, praeter singulorum locorum explicationem, Apollodori elocutionem aliorumque codicum a me collatorum condicionem exponendam curavi, ut bibliothecae editioni, quam praeparo, quasi viam muniam. Multa autem, quae huc pertinent, grata occasione data iam publici iuris feci in Commentationibus Ribbeckianis (De Apollodori bibliothecae interpolationibus, p. 133—151).

Deinde ea quam supra indicavi observatione ad maioris moliminis periculum faciendum adductus sum, nimirum ut bibliothecae fontes indagare studerem. Haec opera quam lubrica sit atque difficilis, vel inde cognoscis, quod epitomator praeter unam Iliadis parvae mentionem fontes suos nusquam citavit. Saepe autem narrationum indoles ea erat, ut si non nomen auctoris, tamen aetas atque genus poeticum eluceret; quibus descriptis haud raro subsistere malui, quam vanas coniecturas iactare. Certiora ut adsequerer, reliqua fabularum testimonia atque versiones undique congessi atque cum epitomae verbis comparavi, unde mythographi fontem investigare crebro contigit. Qua in re fieri non potuit, quin accuratius in singularum fabularum historiam inquirerem, quamquam amplissimum historiae fabularis cyclum perlustrans non eam operam singulis mythis impendere potui, quam qui unius fabulae diversas formas recensendas sibi proposuit. Atque id in primis neque persequi neque omnino hac in urbe intendere potui, ut omnia, quae unquam de singulis fabulis ac praecipue de monumentis hic illic a me laudatis viri docti conscripserunt, colligerem. Itaque si forte reconditiora quaedam fabularum vestigia me fugerint, aut si qua coniectura mea iam alibi typis expressa inveniatur, ignoscant, quaeso, qui litteris colendis magis vacant quam ego. Nec non libere profiteor multa, quae proposui, non perducta esse ad eam veritatis speciem, quam expetendam esse

ipse putabam: quod in quaestione tot difficultatibus intricata evitari non posse nemo nescit, qui in studiorum mythologicorum arenam descendit. Attamen his commentationibus, quibus *Curarum* titulum non sine causa addidi, fundamentum quoddam me posuisse confido, cui si viri doctiores atque sagaciores splendida aedificia superstruxerint, ipse maxime gaudebo.

Nam primum evici Apollodorum in rebus Troicis adhibuisse uberiorem carminum cyclicorum epitomam, quae postea multis modis decurtata et excerpta in Procli chrestomathiam et in scholiorum Homericorum praefationem transiit. Cum igitur viri docti adhuc desudaverint, ut ex miseris his reliquiis quamcumque imaginem carminum perditorum elicerent, nunc contra omnium spem codice Vaticano recte adhibito Cypriorum, Aethiopidis, Iliadis parvae, Ilii persidis, Nostorum notitia haud mediocriter augetur. Atque etiam Stesichori Persidem aliqua ex parte exhaustam esse conicere quidem licuit. Praeterea Apollodorus, quod iam alii suspicati erant, multa tragoediarum argumenta, quae ab Asclepiade repetita esse veri simile est, vulgatis narrationibus admiscuit, quorum auxilio Sophoclis et Euripidis potissimum dramata accuratius restrui posse compluribus exemplis demonstravi. Denique alias fabulas electas, praecipue Alexandrinorum poetarum, fortasse ex Philostephani operibus arcessivit.

Sed a fontium indagatione ad ipsius epitomae Vaticanae condicionem exponendam redeamus. Apollodori quem vocant bibliothecam non modo a pueris sed etiam a grammaticis lectitatam saepissimeque descriptam esse cum ex creberrimis omnium codicum corruptelis atque interpolationibus apparet, tum ex frequentibus testimoniis recentiorum scholiorum. Quod ni ita fuisset, iure mirareris, quod ex antiquioribus historiae fabularis compendiis, unde ipse Apollodorus magnam partem doctrinae suae hausit, ne nomina quidem auctorum nostrae memoriae servata sunt. Atque usque ad Byzantinorum tempora valuisse hanc auctoritatem testatur Tzetzes, qui praecipue in commentariis ad Lycophronis Alexandram nullum auctorem saepius exscripsit quam Apollodorum. Incerta aetate interpola-

tor quidam Zenobii proverbia fabulis Apollodoreis illustravit, nec non quarto decimo fere saeculo Ioannes Pediasimus, chartophylax Bulgariae, Herculis labores exscripsit, uterque archetypo meliore instructus, quam is fuit, ex quo nostri codices derivati sunt.

Itaque cum renascente litterarum studio scriptores Graeci quasi longis a finibus exsules in Italiam remigrarent, Apollodorus quoque in eorum numero erat. Sed iam illa aetate textum pessimum atque in fine mutilatum fuisse docet librorum consensus, quorum ex turba solus Parisinus quartus (n. 2722) paulum eminet. Iam exspectaveris illius saeculi viros doctos summo gaudio amplexuros fuisse doctrinae fabularis enchiridium, quo aptius atque commodius reperire vix poterant. Sed minus eis placuisse videtur Apollodori stilus simplex atque ieiunus, nullis neque orationis elegantiis neque explicationum allegoricarum facetiis exornatus. Nam codicum numerus haud ita magnus est: quattuordecim libris a Westermanno enumeratis soli quantum scio accedunt duo Taurinenses, passim ab Eberhardio (Jahresber. üb. d. Fortschr. d. Altertumswiss. II p. 1315) memorati, et Barberinus (I. n. 122) recentissimus ac deterrimus, quem propterea modo inventum statim procul abieci. Quales vero fuerint auctores, qui ex hominum memoria mythographum nostrum amoverint, non dubium erit ei, qui magnam catervam codicum Palaephati Cornuti Pediasimi per bibliothecas Italiae dispersorum perlustraverit.

Ex quattuor libris Italicis prima editio Aegii prodiit Romae a. 1555. Nostrae autem editiones omnes (praeter Caroli Muelleri, qui Parisinum illum primus adhibuit) exstructae sunt in apparatu quondam ab H e y n i o congesto. Atque quo gratius praedicandum est, quam bene vir doctissimus, qui quidem ipse nullum Apollodori codicem oculis suis adspexerit, de scriptore nostro meritus sit, eo magis miror, quod neque Bekkerus neque Hercherus libros manuscriptos rursus adire operae pretium fecerunt. Sic haud raro, quae ex emendationibus virorum doctorum in editiones nostras recepta sunt, iam in codicibus inveni, ut exposui adn. I 1. 4 (p. 79 ss.); cum autem haec omnia ad res minutas pertineant, ne ex absoluta quidem

omnium librorum collatione multum lucrabimur, sed omnis spes posita est in codice Vaticano, cuius ope, ut videbimus, profecto non destituimur.

Vaticanus codex 950 membranaceus form. octav. min., saeculo XIV exeunte exaratus, hunc titulum nunc perhibet: '*Fabule poetice et quedã Gramaticalia ex Eustathio sine principio et fine.*' Subscriptae sunt vetustiores signaturae '*N 60*' et '*SPM sar*', quibus deletis adiectum est '*Vat. 950.*' Amplectitur centum duodecim folia, sed inter fol. 20 et 21 unum, inter fol. 49 et 50 tria atque in fine complura folia excisa sunt.

fol. 1 pessime habitum incipit a verbis: *κασσιέπεια γὰρ ἡ κηφέως γυνὴ* .... (bibl. II 4. 3, 2) atque Persei historiam, omissis verbis § 6 *παραγενόμενος — Δίκτυν βασιλέα*, continuat usque ad § 7 *ἀθηνᾶ δὲ λαβοῦσα τὴν κεφαλὴν τῆς γοργόνης ἐν μέσῃ* .... *ἀσπίδι*. Deinde nullo neque spatio intermisso neque titulo praeposito inde a primae paginae lin. 19 sequitur epitoma ex Apollodori bibliotheca, quam hic edimus, usque ad finem fol. 49. Initio fol. 50 legitur: *τοσοῦτον ὡς ἐν ταλάρῳ καὶ λίκνῳ αὐτὸν περιστρεφόμενον ἤτοι κουνείῳ δίκην βρεφυλλίων καθεύδειν, εἰς τέττιγα μετέβαλεν.* Haec verba sunt Tzetzae ex commentario ad Lycophronis v. 18, atque excerpta ex his scholiis et ex Chiliadibus reliquam codicis partem explent.

Non ego primus animum ad hunc librum adverti, sed iam decimo sexto saeculo ineunte Ianus Parrhasius eum inspexit, nam ex fol. 39r pauca verba exscripsit[1]), quae unde elicuerit

1) Ianus Parrhasius (1470—1522) in libro: 'De rebus per epistolam quaesitis' (ed. Henricus Stephanus 1567) p. 20 haec subscripsit epistulae ad Paulum Veientem datae: 'Is qui collectanea fecit historiarum scribit hunc in modum: *Βροτέας κυνηγὸς ὢν τὴν Ἄρτεμιν οὐκ ἐτίμα· ἔλεγε δὲ ὡς οὐδ' ὑπὸ πυρός τι πάθοι· ἐμμανὴς οὖν γενόμενος ἔβαλεν εἰς πῦρ ἑαυτόν*'. (ep. c. VIII.) Iam cum sciamus Parrhasium librorum cupidissimum amatorem per totam Italiam complurimos eosque pretiosissimos codices coemendos curavisse, facile conieceris in eorum numero etiam Vaticanum nostrum fuisse (confer Andresii Prodromum ad Anecdota Graec. et Lat. ex codd. bibl. reg. Neapolit. 1816 p. XXX ss., et Ianellii librum 'De vita et scriptis Auli Iani Parrhasii 1844 p. VII ss. et 157 ss.). Sed Parrhasius libros suos Antonio Seripandio moriens reliquit, cuius

frustra quaesivit Gerhardus (Mus. Rhen. VIII p. 132). Deinde Angelus Mai codicem diligenter pervestigavit atque bene observavit, quae in medio fol. 69ᵛ leguntur: *ἐκ τῶν διὰ στίχων ἱστορικοῦ βιβλίου τοῦ τζέτζου*, ut demonstrat eius adnotatio marginalis huic loco adscripta: '*Sunt excerpta propria ex Tzetzae Chiliadibus usque ad codicis finem. A. M.*' Unde progressus Chiliades evolvit atque compluribus paginis locos ab epitomatore exscriptos in margine adiecit, fol. 65ʳ: '*Tzetzes Chil. I hist. 32. A. M.*', fol. 68ʳ: '*Tzetzae Chil. III 96 A. M.*', fol. 112ᵛ: '*Tzetzes Chil. VII hist. 142. A. M.*'; sed falso credidit ut usque ad finem, sic iam ab initio totum librum excerptis Tzetzianis impletum esse. Sic factum est, ut usque ad nostra tempora hic thesaurus in bibliothecae celeberrimae scriniis occultus remanserit.

Qua aetate auctor anonymus gratissimam operam huius epitomae conficiendae susceperit, nullo testimonio constat. Sed certissime licet affirmare non ipsius auctoris manu librum Vaticanum scriptum esse. Nam complures occurrunt corruptelae ab Apollodori codicibus alienae, quae tam insulsae sunt, ut tantum librariorum inscientiae tribui possint (conf. adn. I 9. 1, 1). Unde concludimus saepius haec excerpta descripta esse. Atque ad eandem coniecturam adducimur codicis praestantia, quae quanto opere librum archetypum omnium codicum superet, supra exposuimus. Itaque studiis grammaticorum Byzantinorum, quos etiamtum duodecimo saeculo completum bibliothecae textum perhibuisse scimus, hoc quoque opus deberi veri est simillimum. Nam constat Alexium I [1]) circa eiusdem saeculi initium, ut de integro instauraret antiquitatis studium, scholam

frater Hieronymus eos omnes Neapoli in bibliotheca Carbonaria reposuit, unde a. 1779 in bibliothecam Borbonicam translati sunt. Sed nolo praetermittere, quod adnotat Ianellius l. l. p. 158: 'Cum trepidus et festinus Roma discederet, fieri bene potuit, ut ea de causa multi libri, quos amicis commodaverat, vel non quaererentur, vel non redderentur.' Romam autem Parrhasius a Leone X pontifice maximo a. 1513 accitus erat, ubi remansit usque ad ineuntem annum 1520. (Ianellius p. 100 ss.) Hisce igitur temporibus, quidquid de Iano statuis, eclogas ex Apollodori bibliotheca Romae iam exstitisse constat.

1) conf. Ranke, Weltgeschichte III 2 p. 239 s.

instituisse, cuius in usum haud scio an tales eclogae compositae sint. Fortasse autem usque ad Photii tempora aut ad decimum quidem saeculum adscendere licebit, qua aetate ipse imperator Constantinus Porphyrogennetus antiquarum litterarum summam ex scriptorum Graecorum thesauris excerpendam studiosissime curavit. Nam vix intra paucorum annorum spatium ducentae quinquaginta corruptelae in textum quinque et triginta parvorum foliorum irrepere potuerunt. Itaque, quisquis fuit harum eclogarum auctor, oleum et operam non perdidit, qui bibliothecae textum perbonum atque haud mediocriter auctum nostrae memoriae servavit.

In plagulis corrigendis vir amicissimus Franciscus Poland Dresdensis diligentissime me adiuvit, cui praecipue in Curarum mythographarum recensione permultum me debere gratissimo animo confiteor.

Piae memoriae gratia praeposui huic libro qualicumque nomen patrui optimi ante hos decem annos defuncti, **Aemilii Kuhn**, qui, quanto opere de antiquitatum Romanarum et Graecarum scientia meritus sit, haud ignorant, qui haec studia callent, quam egregium exemplar virtutis verique laboris imitandum mihi reliquerit, solus scio.

Scribebam Dresdae exeunte anno MDCCCXC.

Richardus Wagner.

CONSPECTUS.

	pagina
Praefatio	V
Conspectus	XIII
Corrigenda ad addenda	XIV
I. Epitoma Vaticana ex Apollodori bibliotheca	1—76
I. Epitoma ex servatis bibliothecae libris	3
II. Epitoma ex perdita bibliothecae parte	54
II. Adnotationes	77—112
III. Curae mythographae de Apollodori bibliothecae fontibus	113—296
§ 1. Praemonenda	115
Cap. I. Theseis	117
§ 2. Atthis	117
§ 3. Sex labores Thesei. Taurus Marathonius	120
§ 4. Minotaurus	126
§ 5. Daedali fuga	130
§ 6. Amazones. Hippolytus	137
§ 7. [Centauromachia.] Ixion. Caeneus	147
§ 8. Raptus Helenae. Descensus ad inferos	152
Cap. II. Pelopis	158
§ 9. Tantalus. Broteas	158
§ 10. Pelops	160
§ 11. Atreus et Thyestes. [Agamemnon.]	166
Cap. III. Antehomerica	169
§ 12. Paridis iudicium. Raptus Helenae	171
§ 13. Ulixes. Palamedes. Cinyras. Anii filiae	176
§ 14. Bellum Teuthranteum	186
§ 15. Iphigenia. Tennes. Philoctetes	191
§ 16. Helenae expostulatio. Protesilaus	196
Cap. IV. Homerica	203
Cap. V. Posthomerica	206
§ 17. Aethiopis: Penthesilea. Memnonis et Achillis mors. Armorum iudicium	207

pagina
§ 18. Philoctetes. Helenus 216
§ 19. Heleni vaticinia: Pelopis ossa. Neoptolemus. Palladium 223
§ 20. Equus ligneus 228
§ 21. Ilii persis: Priamus. Glaucus et Aeneas. Helena. Aethra. Cassandra 235
§ 22. Praedae partitio: Astyanax. Polyxena. Hecuba. Laodice. Achivorum de Aiace iudicium. . . . 243
Cap. VI. Nosti 254
§ 23. Diomedes. Nestor. Menelaus 254
§ 24. Calchas 256
§ 25. Aiacis interitus. Nauplius 260
§ 26. Neoptolemus 270
§ 27. Aliorum ducum errores 278
§ 28. Demophon. Podalirius. Amphilochus. Locrenses . 289
§ 29. Agamemnon. Menelaus 293
Epimetrum: Praefatio Borbonica ad Homeri Iliadem 297
Indices 302

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Miro casu accidit, quod, cum omnia iam typis expressa essent, Otto Ribbeck benevolentissime mecum communicavit: *Apollodori bibliothecae fragmenta Sabbaitica,* quae Papadopulos Kerameus in Mus. Rhen. vol. XLVI p. 161—192 editurus est, exstantia in codice theologo S. Sabbae saec. ineuntis aut medii XIII, Hierosolymis servato. Horum auctor ex Apollodori libro tertio continuas quasdam enarrationes composuit, ex quibus cum epitoma Vaticana artissime cohaerent prima: *Γένεσις τῆς Ἑλένης ἐν ἐπιτομῇ καὶ ἁρπαγὴ καὶ ἅλωσις τῆς Τροίας,* secunda: *Ἱστορία περὶ τοῦ Μινωταύρου,* tertia: *Περὶ τῆς διαβολῆς Φαίδρας εἰς Ἱππόλυτον.* Nam repetuntur in eis haec capita eclogarum nostrarum: I 5—10, III, XIX 2 s., XI, XII, XVI, XVII 1, 7, 8, 14—16, XVIII fin., XX, XXI, XXII 1, 2, 7 init. XXIII 1, 10—15. Nec vero in Menelai reditu substitit epitomator Sabbaiticus, sed reliquam addit bibliothecae partem, quae in codice Vaticano desideratur. Nam postquam, ut recte divinaveram p. 295, Menelaum in campos Elysaeos traductum esse rettulit (*καὶ ἀποθανατισθεὶς ὑπὸ Ἥρας εἰς τὸ Ἠλύσιον ἦλθε πεδίον μεθ' Ἑλένης* p. 176, 2 s.), pergit ad Ulixis errores multo uberius, quam putaveram p. 295 s., ex Odyssea enarrandos (p. 176, 6—180, 28). Denique totius operis finis amplectitur Telegoniae

argumentum paulo copiosius quam in codice Veneto (memoratur e. gr. Poliporthe, Ulixis et Penelopes filia), quocum coniuncta est fabularum varietas de Penelopes et Ulixis exitu.

Praeterea autem non modo Iliadis argumentum magna quidem ex parte servatum est, verum etiam lacunae epitomae Vaticanae plerumque eadem ratione, qua eas supplendas esse contenderam, re vera complentur. Sic bellum Amazonum contra Theseum (conf. p. 137) breviter indicatur p. 184, 13 s.: *διὸ ἐστράτευσαν ἐπ' Ἀθήνας Ἀμαζόνες. καὶ συστρατευσαμένας αὐτὰς περὶ τὸν Ἄρειον πάγον Θησεὺς μετὰ Ἀθηναίων ἐνίκησεν.* Subsequitur autem, quam hinc in c. XIX 2 s. transpositam esse suspicatus sum p. 207 adn. 2, adnotatio de tumultu in Phaedrae nuptiis orto. Sic nunc confirmatur (conf. p. 168) ea quoque, quae de Agamemnonis adulescentia et matrimonio Tzetzes enarraverat, ex bibliotheca elicita esse.

Nec non quam sententiam de epitoma ex carminibus cyclicis ab Apollodoro adhibita protulimus, nunc novis argumentis fulcitur, ut de Iphigenia a Diana ad Tauros transportata additur ex Cypriis p. 168, 24: *ὡς δὲ ἔνιοι λέγουσιν, ἀθάνατον αὐτὴν ἐποίησεν.* Contra Agamemnonis exclamationem: *οὐδὲ ἡ Ἄρτεμις·* non ex schol. Hom. *Α* 108 (conf. p. 192) reficiendam esse docent verba p. 168, 15 ss.: *ἐπεὶ κατὰ θήραν ἐν Ἰκαρίῳ βαλὼν ἔλαφον εἶπεν οὐ δύνασθαι σωτηρίας αὐτὴν τυχεῖν οὐδ' Ἀρτέμιδος θελούσης.* Non desideratur paulo infra neque Cycni neque Troili mors (conf. p. 203), haud dubie ex Cyprio carmine derivata (nota accuratam descriptionem p. 169, 3 ss.: *Πρωτεσιλάου δὲ τελευτήσαντος ἐκβαίνει μετὰ Μυρμιδόνων Ἀχιλλεύς, καὶ λίθον (βα)λὼν εἰς τὴν κεφαλὴν Κύκνου κτείνει. ὡς δὲ τοῦτον νεκρὸν εἶδον οἱ βάρβαροι, φεύγουσιν εἰς τὴν πόλιν κτλ.*). — Post urbis expugnationem ipse Calchas propter Minervae iram Achivis praescribit, ut de Aiace iudicium facerent, quod optime vides congruere cum eis, quae de hac lite disputavi p. 249 ss. Deinde discidium Achivorum de reditu, ut opinatus sum p. 255, ex Nostis Apollodorus hausit. Contra in Calchantis et Mopsi certamine (c. XXI 27) Mopsi responsum aliter refertur, quam in bibliotheca, quae cum Tzetze prorsus consentit. Atque procellam, qua Aiax quoque interiit, prope Tenum insulam ab ipsa Minerva Agamemnoni missam esse nunc discimus, ut evanescat quam moveram dubitationem p. 263 adn. 3. Cum Agamemnone etiam Neoptolemus Tenedum profectus erat, non cum Menelao (p. 270). Eorum ducum errores, quos breviter commemoravit epitomator Vaticanus (c. XXIII 1, p. 278 ss.), paulo uberius exponuntur in excerptis Sabbaiticis, Guneo, Antipho, Philocteta, Phidippo, Agapenore commemoratis; sed haec quoque enumeratio absolvitur verbis: *καὶ ἄλλος* (l. *ἄλλοι*) *ἀλλαχοῦ* (p. 175, 1). Denique gaudeo, quod omnia fere confirmantur, quae de Orestis itinere Taurico supplendo proposui p. 111.

Accedunt etiam singula quaedam additamenta memorabilia, velut a Simonide Hippolyten (conf. p. 138) Thesei uxorem appellatam esse nunc comperimus p. 184, 12, atque Bacchi Ariadnaeque liberos enumerat excerptor *Θόαντα Στάφυλον Οἰνοπίωνα καὶ Πάρηθον* (p. 184, 8).

Ceterum autem ipsa verba utriusque epitomae fere nullo modo inter se differunt, ut Apollodori textum diligenter exscriptum esse appareat. Atque, etiamsi liber Sabbaiticus uno saeculo antiquior sit quam Vaticanus, tamen singularum vocum emendationes epitomae nostrae raro adduntur (e. gr. c. XXI, 24 *εὐπλοοῦσιν* pro *ἀποπλοοῦσιν*, et III 2 *κατασχίσασα τὰς τοῦ θαλάμου θύρας* pro *κατασχοῦσα*). — Denique multa nunc suadere videntur, ut ipso a Tzetze epitomam Vaticanam compositam esse statuamus.

Haec interim monuisse satis habeo, alibi plura disputaturus. Nec non spero fore, ut mox tibi possim proponere textum bibliothecae omni fere ex parte absolutum.

---

p. 57, 13 l. *βίαν* pro *βίας*.
p. 58 fin. Gerhardum secutus minus recte contendi iam Ianum Parrhasium perhibuisse *ἔλεγε δὲ καὶ* pro *ἔλεγε δὲ* (conf. praefat. p. X).
p. 64, 25 excidit paragraphi 11 significatio.
p. 76, 5 l. *Ταύροις* pro *Ταυροῖς*.
p. 79, 29 ss. Ne falsam tibi fingas opinionem de singulorum codicum auctoritate, addo me solos codices Palatinum et Laurentianum integros contulisse. In Neapolitano excussi librum primum et Herculis labores (II 4. 8, 1—5. 12, 9), in Vaticano 1017 (non 1071, ut est apud Westermannum) praeter eandem libri secundi partem singulos locos multos evolvi.
p. 104 ad III 1. 1, 3 conieceris *ἐκ ῥόδων* vel *ἐκ ῥοδῶνος ἀφελών*, vel simile quid.
p. 110, 4 l. *Οἰνότροποι* pro *Οἰνοτρόποι*.
p. 111, 5 l. XXIII pro XXX.
p. 159, 13 l. 588 pro 558.
p. 167, 17 l. Thyestae pro Thyestis.
p. 182, 8 l. *ἠνεμόεσσαν* pro *ἠνεμήεσσαν*.
p. 207 sub titulo paragraphi 17 l.: (cap. XIX. XX. XXI 1—3).
p. 214 delendum est ultimum paginae verbum *cum*.
p. 219, 1 l. *est* pro *esset*.
p. 237 fin. addenda est altera Tzetzae adnotatio ad Lycophr. v. 874, qua cum Menelao Antenoridas profectos esse refert.
p. 284 ss. Ad Sophoclis Nauplium restituendum Richardus Schoene nuper adhibuit locum Heronis automat. pag. 264, 39 ss. (Jahrb. d. archaeol. Inst. p. 73 ss.). Ex quo si recte vir doctissimus elicuit ipsam Minervam apud Sophoclem in machina visam esse, manifestum est, quam bene haec numinis praesentia congruat cum oraculo, quod in tragoediae exitu Nauplio nuntiatum esse suspicor.
p. 272, 14 l. *esset* pro *est*.
p. 279, 26 l. *Philoctetam* pro *Philoctetem*.

EPITOMA VATICANA

EX

APOLLODORI BIBLIOTHECA.

E codex Vaticanus n. 950, form. oct. min., saeculi XIV exeuntis, cuius folia 1—49 excerpta ex Apollodori q. f. bibliotheca continent.

A consensus codicum bibliothecae sive omnium sive plurimorum.

He Heynius (ed. 1803).

Br Bekkerus (ed. 1854).

Hr Hercherus (ed. 1874).

* eos locos significavi, quibus virorum doctorum coniecturae in editiones receptae meliore epitomae scriptura confirmantur.

* novas emendationes indicavi, quae ex codice Vaticano textui Apollodori accrescunt.

⟨. . .⟩ supplevi, quae librariorum socordia exciderunt.

Litteris minutis ea expressi, quae, cum in codice Vaticano exstincta essent, ex tradito textu supplenda erant.

I.

EPITOMA EX SERVATIS BIBLIOTHECAE LIBRIS.

Apollod. bibl. I

I. *Οὐρανὸς πρῶτος τοῦ παντὸς ἐδυνάστευσε κόσμου,* I
γήμας δὲ Γῆν ἐτέκνωσε πρώτους τοὺς ἑκατόγχειρας Βριάρεων Κοῖον Γύην, οἳ μεγέθει τε ἀνυπέρβλητοι καὶ δυνάμει καθειστήκεσαν [*καθεστήκεισαν* E], *χεῖρας μὲν ἑκατόν, κεφαλὰς δὲ*
πεντήκοντα ἔχοντες. μετὰ τούτους δὲ αὐτῷ τεκνοῖ Γῆ Κύκλω- 2
πας Ἄρπην Στερόπην Βρόντην, ὧν ἕκαστος εἶχεν ἕνα ὀφθαλμὸν ἐπὶ τοῦ μετώπου. ἀλλὰ τούτους μὲν Οὐρανὸς δήσας εἰς Τάρταρον ἔρριψε. τεκνοῖ δὲ αὖθις ἀπὸ Γῆς τοὺς Τιτᾶνας
Ὠκεανὸν Ὑπερίονα Κρεῖον Ἰαπετὸν καὶ νεώτατον ἁπάντων 3
Κρόνον, θυγατέρας δὲ τὰς κληθείσας Τιτανίδας Τηθὺν Ῥέαν
Θέμιν Μνημοσύνην Φοίβην Διώνην Θείαν. ἀγανακτοῦσα δὲ 4
Γῆ ἐπὶ τῇ ἀπωλείᾳ τῶν εἰς Τάρταρον ῥιφέντων παίδων πείθει τοὺς Τιτᾶνας ἐπιθέσθαι τῷ πατρί, καὶ δίδωσιν ἀδαμαντίνην ἅρπην Κρόνῳ. οἱ δὲ Ὠκεανοῦ χωρὶς ἐπιτίθενται, καὶ Κρόνος ἀποτεμὼν τὰ αἰδοῖα τοῦ πατρὸς εἰς τὴν θάλασσαν ἀφίησιν. ἐκ δὲ τῶν σταλαγμῶν τοῦ ῥέοντος αἵματος Ἐριννύες ἐγένοντο Ἀληκτὼ Τισιφόνη Μέγαιρα. τῆς δὲ ἀρχῆς ἐκβαλόντες τούς τε κὰταταρταρωθέντας ἀνήγαγον ἀδελφοὺς
καὶ τὴν ἀρχὴν Κρόνῳ παρέδοσαν. ὁ δὲ τούτους μὲν τῷ Ταρ- 5
τάρῳ πάλιν δήσας [*δείσας* E] *καθεῖρξε, τὴν δὲ ἀδελφὴν Ῥέαν*

3. *κοῖον* EA: *Κόττον* He 6. *ἅρπην* EA: *Ἄργην* He 9. *Κρεῖον** E: *κρῖον* A (v. adn.) *νεώτατον** E Aegius: *γενεώτατον* A 10. *δὲ** EHe: *τε* A 12. *ῥιφέντων* E: *ῥιφθέντων* A 15. *ἀποτεμὼν* v. adn. 19. *μὲν* EA: *μὲν ἐν* Faber

γήμας, ἐπειδὴ Γῆ τε καὶ Οὐρανὸς αὐτῷ ἐθεσπιῴδουν λέγον-
τες ὑπὸ παιδὸς τὴν ἀρχὴν ἀφαιρεθήσεσθαι, κατέπινε τὰ γεν-
νώμενα. καὶ πρώτην μὲν γεννηθεῖσαν Ἑστίαν κατέπιεν, εἶτα
Δήμητραν καὶ Ἥραν, μεθ' ἃς Πλούτωνα καὶ Ποσειδῶνα.
6 ὀργισθεῖσα δ' ἐπὶ τούτοις Ῥέα παραγίνεται μὲν εἰς Κρήτην,
γεννᾷ δ' ἐν ἄντρῳ τῆς Δίκτης Δία. καὶ τοῦτον μὲν δίδωσι
τρέφεσθαι Κούρησί τε καὶ ταῖς Μελισσέων παισὶ νύμφαις
7 Ἀδραστείᾳ τε καὶ Ἴδῃ. αὗται μὲν οὖν τὸν παῖδα ἔτρεφον
τῷ τῆς Ἀμαλθείας γάλακτι, οἱ δὲ Κούρητες ἔνοπλοι ἐν τῷ
ἄντρῳ τὸ βρέφος φυλάσσοντες τοῖς δόρασι τὰς ἀσπίδας συν-
έκρουον, ἵνα μὴ τῆς τοῦ παιδὸς φωνῆς ὁ Κρόνος ἀκούσῃ.
Ῥέα δὲ λίθον σπαργανώσασα δέδωκε Κρόνῳ καταπιεῖν ὡς
τὸν γεγεννημένον παῖδα.
II ἐπειδὴ δὲ Ζεὺς ἐγενήθη τέλειος, λαμβάνει Μῆτιν τὴν
Ὠκεανοῦ συνεργόν, ἣ δίδωσι Κρόνῳ καταπιεῖν φάρμακον, ὑφ'
οὗ ἐκεῖνος ἀναγκασθεὶς πρῶτον μὲν ἐξεμεῖ τὸν λίθον, ἔπειτα
τοὺς παῖδας, οὓς κατέπιε· μεθ' ὧν Ζεὺς τὸν πρὸς Κρόνον
2 καὶ Τιτᾶνας ἐξήνεγκε πόλεμον. μαχομένων δὲ αὐτῶν ἐνιαυ-
τοὺς δέκα ἡ Γῆ τῷ Διὶ ἔχρησε τὴν νίκην, τοὺς καταταρταρω-
θέντας ἐὰν ἔχῃ συμμάχους· ὁ δὲ τὴν φρουροῦσαν αὐτῶν τὰ
3 δέσμα Κάμπην ἀποκτείνας ἔλυσε. καὶ Κύκλωπες τότε Διὶ
μὲν διδόασι βροντὴν καὶ ἀστραπὴν καὶ κεραυνόν, Πλούτωνι
4 κυνέην, Ποσειδῶνι δὲ τρίαιναν. οἱ δὲ τούτοις ὁπλισθέντες
κρατοῦσι τούτων, καὶ καθείρξαντες αὐτοὺς ἐν τῷ Ταρτάρῳ
τοὺς ἑκατόγχειρας κατέστησαν φύλακας. αὐτοὶ δὲ διακληροῦν-
ται περὶ τῆς ἀρχῆς, καὶ λαγχάνει Ζεὺς μὲν τὴν ἐν οὐρανῷ
δυναστείαν, Ποσειδῶν δὲ τὴν ἐν θαλάσσῃ, Πλούτων δὲ τὴν
2 ἐν Ἅιδου. ἐγένοντο δὲ Τιτάνων ἔκγονοι Ὠκεανοῦ μὲν καὶ
Τηθύος Ὠκεανίδες τρισχίλιοι Ἰασία Στὺξ Ἠλέκτρα Δωρὶς

---

4. *Δήμητραν* EA: *Δήμητρα* Westermannus (v. adn.) 6. *μὲν* del. Br, sed conf. Comm. Ribb. p. 137 7. *μελισσέων* EA: *Μελισσέως* Zenob. II 48. Galeus 12. *δέδωκε* EA conf. adn. 14. *ἐγενήθη* EA conf. adn. 17. *τὸν* del. Hr, sed conf. Comm. Ribb. p. 136
20. *ἐὰν** E: *ἓν* Pal. *ἂν* A 23. *κυνέην** E edd.: *κυανέην* A (conf. adn.) 25. *κατέστησαν** E: *καθίστασαν* A (conf. adn.) 28. *Ἅιδου** EBr: *ᾅδῃ* A 29. *τρισχίλιοι* E: *τρισχίλιαι* A del. He *Στὺξ** E Aegius: *στύξων* A post *Ἠλέκτρα* spatium septem fere litterarum in fine versus E

Εὐρυνόμη Ἀμφιτρίτη Μῆτις, Κοίου δὲ καὶ Φοίβης Ἀστερία
καὶ Λητώ, Ὑπερίονος δὲ καὶ Θείας Ἠὼς Ἥλιος Σελήνη,
Κρείου δὲ καὶ Εὐρυβοίας τῆς Πόντου Ἀστραῖος Πάλλας καὶ
Πέρσης καὶ ἐξ ἄλλων ἄλλοι.
Ζεὺς δὲ ἐκ τῆς Ἥρας τεκνοῖ Ἥβην Εἰλείθυιαν Ἀργήν, III
ἐκ Θέμιδος [*θέτιδος* E] *τῆς Οὐρανοῦ Ὥρας Εἰρήνην Εὐνομίαν*
Δίκην, Μοίρας Κλωθὼ Λάχεσίν τε καὶ Ἄτροπον, ἐκ Διώνης
Ἀφροδίτην, ἐξ Εὐρυνόμης δὲ . . . . Χάριτας Ἀγλαΐην
Εὐφροσύνην Θάλειαν, ἐκ δὲ Στυγὸς Περσεφόνην, ἐκ δὲ Μνη- 2
μοσύνης Μούσας, πρώτην μὲν Καλλιόπην, εἶτα Κλειὼ Μελ-
πομένην Εὐτέρπην Ἐρατὼ Τερψιχόρην Οὐρανίαν Θάλειαν
Πολυμνίαν. Καλλιόπης μὲν οὖν καὶ Οἰάγρου, κατ' ἐπίκλησιν 2
δὲ Ἀπόλλωνος, Λῖνος, ὃν Ἡρακλῆς ἀπέκτεινε, καὶ Ὀρφεὺς ὁ
ἀσκήσας κιθαρῳδίαν, ὃς ᾄδων ἐκίνει λίθους καὶ δένδρα. εὗρε
δὲ Ὀρφεὺς καὶ τὰ Διονύσου μυστήρια, καὶ τέθαπται περὶ
τὴν Πιερίαν διασπασθεὶς ὑπὸ τῶν Μαινάδων. Κλειὼ δὲ 3
Πιέρου τοῦ Μάγνητος ἠράσθη κατὰ μῆνιν Ἀφροδίτης· ὠνεί-
δισε γὰρ αὐτῇ τὸν Ἀδώνιδος ἔρωτα. συνελθοῦσα δὲ ἐγέννη-
σεν ἐξ αὐτοῦ παῖδα Ὑάκινθον, οὗ Θάμυρις ὁ Φιλάμμωνος
καὶ Ἀργιόπης [*ἀργιόπου* E] *νύμφης ἔσχεν ἔρωτα, πρῶτος*
ἀρξάμενος ἐρᾶν ἀρρένων. ἀλλ' Ὑάκινθον μὲν ὕστερον Ἀπόλ- 2
λων ἐρώμενον ὄντα δίσκῳ βαλὼν ἄκων ἀπέκτεινε, Θάμυρις
δὲ κάλλει διενεγκὼν καὶ κιθαρῳδίᾳ περὶ μουσικῆς ἤρισε Μού-
σαις συνθέμενος, ἂν μὲν κρείττων εὑρεθῇ πλησιάσειν πάσαις,
ἐὰν δὲ ἡττηθῇ, στερηθήσεσθαι, οὗ ἂν ἐκεῖναι θέλωσι. καθ-
υπέρτεραι δὲ αἱ Μοῦσαι γενόμεναι καὶ τῶν ὀμμάτων αὐτὸν
καὶ τῆς κιθάρας ἐστέρησαν. Θαλείας δὲ καὶ Ἀπόλλωνος ἐγέ- 4
νοντο Κορύβαντες, Μελπομένης δὲ καὶ Ἀχελῴου Σειρῆνες.
Ἥρα δὲ πάλιν ἐκ Διὸς ἐγέννησεν Ἥφαιστον. ῥίπτει δὲ 5
αὐτὸν ἐξ οὐρανοῦ Ζεὺς Ἥρᾳ δεθείσῃ βοηθοῦντα· ταύτην γὰρ
ἐκρέμασε Ζεὺς ἐξ Ὀλύμπου χειμῶνα ἐπιπέμψασαν Ἡρακλεῖ,
ὅτε Τροίαν ἑλὼν ἔπλει. πεσόντα δ' Ἥφαιστον ἐν Λήμνῳ
καὶ πηρωθέντα τὰς βάσεις διέσωσε Θέτις. μίγνυται δὲ Ζεὺς 6

1. *Ἀμφιτρίτη* EA: del. He 3. *κροίου* E, l. *Κρείου**: *Κρίου* A *εὐρυβοίας* EA: *Εὐρυβίας* He *τῆς** E He: *τοῦ* A 5. *ἀργὴν* E *ἄργην* sim. A: *Ἄρην* He 6. *τῆς** E He: *τοῦ* A 8. spatium in E: *τῆς ὠκεανοῦ* A 31. *ἐκρέμασε* E: *ἐξεκρέμασε* A

*Μήτιδι μεταβαλλούσῃ εἰς πολλὰς ἰδέας ὑπὲρ τοῦ μὴ συνελ-
θεῖν, καὶ αὐτὴν γενομένην ἔγκυον καταπίνει φθάσας, ἐπείπερ
ἔλεγε γεννήσειν παῖδα μετὰ τὴν μέλλουσαν ἐξ αὐτῆς γεννᾶ-
σθαι κόρην, ὃς οὐρανοῦ δυνάστης γενήσεται. τοῦτον εὐλαβη-
θεὶς κατέπιεν αὐτήν. ὡς δ' ὁ τῆς γενέσεως ἐνέστη χρόνος,
πλήξαντος αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν πελέκει Προμηθέως, ἢ καθά-
περ ἄλλοι λέγουσιν Ἡφαίστου, ἐκ κορυφῆς ἐπὶ ποταμοῦ [πο-
ταμῶν* E] *Τρίτωνος Ἀθηνᾶ σὺν ὅπλοις ἀνέθορε.*
IV *Λητὼ δὲ συνελθοῦσα Διὶ κατὰ τὴν γῆν ἅπασαν ὑφ'
Ἥρας ἠλαύνετο, μέχρις εἰς Δῆλον ἐλθοῦσα γεννᾷ πρῶτον
Ἄρτεμιν, ὑφ' ἧς μαιωθεῖσα ὕστερον Ἀπόλλωνα ἐγέννησεν.*
3 *Ἄρτεμις μὲν οὖν τὰ περὶ θήραν ἀσκήσασα παρθένος ἔμεινεν,
Ἀπόλλων δὲ τὴν μαντικὴν μαθὼν παρὰ Πανὸς τοῦ ἐκ Διὸς
καὶ Ὕβρεως ἦλθεν εἰς Δελφοὺς χρησμῳδούσης τότε Θέμιδος·
ὡς δὲ ὁ φρουρῶν τὸ μαντεῖον Πύθων ὄφις ἐκώλυεν αὐτὸν
παρελθεῖν ἐπὶ τὸ χάσμα, τοῦτον ἀνελὼν τὸ μαντεῖον παρα-*
4 *λαμβάνει. κτείνει δὲ μετ' οὐ πολὺ καὶ Τιτυόν, ὃς Διὸς ἦν
υἱὸς καὶ τῆς Ὀρχομενοῦ θυγατρὸς Ἑλένης, ἣν Ζεὺς ἐπειδὴ
συνῆλθε δείσας Ἥραν ὑπὸ γῆν ἔκρυψε καὶ τὸν κυοφορηθέντα*
5 *παῖδα ὑπὲρ μέγεθος εἰς φῶς ἀνήγαγεν. οὗτος ἐρχομένην εἰς
Πυθὼ Λητὼ θεωρήσας πόθῳ κατασχεθεὶς ἐπισπᾶται· ἡ δὲ
τοὺς παῖδας ἐπικαλεῖται καὶ κατατοξεύουσιν αὐτόν. κολάζε-
ται δὲ καὶ μετὰ θάνατον· γύπες γὰρ αὐτοῦ τὴν καρδίαν ἐν*
2 *Ἅιδου κατεσθίουσιν. ἀπέκτεινε δὲ Ἀπόλλων καὶ τὸν Ὀλύμ-
που παῖδα Μαρσύαν. οὗτος γὰρ εὑρὼν αὐλούς, οὓς ἔρριψεν
Ἀθηνᾶ διὰ τὸ τὴν ὄψιν αὐτῆς ποιεῖν ἄμορφον, ἦλθεν εἰς*
2 *ἔριν περὶ μουσικῆς Ἀπόλλωνι. συνθεμένων δὲ αὐτῶν, ἵνα
ὁ νικήσας ὃ βούλεται διαθῇ τὸν ἡττώμενον, τῆς κρίσεως γενο-*

---

1. *Μήτιδι** E He: *θέτιδι* vel *θέμιδι* A 3. *γεννᾶσθαι* E: *γενέσθαι* A 4. *τοῦτον* E: *τοῦτο* A 5. *γενέσεως** E edd.: *γεννήσεως* A 7. *λέγουσιν* E Par[4]: *λέγουσι καὶ* A 10. *πρῶτον* E: *πρώτην* A 13. *παρὰ** E: *παρὰ τοῦ* A *ἐκ* om. A 14. *ὕβρεως* E A Tzetz. in Lyc. v. 772: *Θύμβρεως* Aegius 17. *Διὸς ἦν* E: *ἦν Διὸς* A 18. *ἐλένης* E *ἐλάνης* vel *ἐλαίνης* A: *Ἐλάρης* Aegius 20. *ὑπὲρ μέγεθος* E: *ὑπερμεγέθη* A *ἐρχομένην** E: *ἐρχόμενος* A (conf. adn.) 23. *γύπες* E A: *γῦπες* edd. 24. *κατεσθίουσιν* E: *ἐσθίουσιν* A (conf. II 5. 11, 10 *τὸν ἐσθίοντα τὸ τοῦ Προμηθέως ἧπαρ ἀετόν* et Diod. IV 15, 2) 28. *γενομένης* E A:

μένης τὴν κιθάραν στρέψας ἠγωνίζετο ὁ Ἀπόλλων καὶ αὐτὸ ποιεῖν ἐκέλευε τὸν Μαρσύαν· τοῦ δὲ ἀδυνατοῦντος εὑρεθεὶς κρείσσων ὁ Ἀπόλλων κρεμάσας Μαρσύαν ἔκ τινος ὑπερτενοῦς πίτυος ἐκτεμὼν τὸ δέρμα οὕτως διέφθειρεν.

II. Ὅτι ἔστιν εἰς Ἐλευσῖνα ἡ ἀγέλαστος πέτρα· οὕτω V 1
γὰρ ἐκάλεσεν αὐτὴν ἡ Δημήτηρ, ὅτε τῆς αὐτῆς θυγατρὸς Περσεφόνης, τῆς καὶ Κόρης, ἐρασθεὶς Πλούτων ἥρπασεν αὐτὴν Διὸς συνεργήσαντος. Δήμητρα δὲ μετὰ λαμπάδων νυκτός τε καὶ ἡμέρας κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν ζητοῦσα περιήει, γυναικὶ δὲ εἰκασθεῖσα ἐπὶ τὴν δηλουμένην πέτραν ἐκάθισεν.

III. Ὅτι Γῆ περὶ Τιτάνων ἀγανακτοῦσα γεννᾷ Γίγαντας VI
ἐξ Οὐρανοῦ, μεγέθει μὲν σωμάτων ἀνυπερβλήτους, δυνάμει
δὲ ἀκαταγωνίστους. ἠκόντιζον δὲ εἰς οὐρανὸν πέτρας καὶ 2
δρῦς ἡμμένας. διέφερε δὲ πάντων Πορφυρίων τε καὶ Ἀλκυο- 3
νεύς, ὃς δὴ καὶ ἀθάνατος ἦν ἐν ᾗ ἐγεννήθη γῇ. οὗτος καὶ
τὰς Ἡλίου βόας ἐξ Ἐρυθίας ἤλασε. τοῖς δὲ θεοῖς λόγιον 4
ἦν ὑπὸ θεῶν μηδένα τῶν Γιγάντων ἀπολέσθαι δύνασθαι,
συμμαχοῦντος δὲ θνητοῦ τινος τελευτήσειν. αἰσθομένη δὲ Γῆ 5
τοῦτο ἐζήτει φάρμακον, ἵνα μηδ' ὑπὸ θνητοῦ δυνηθῶσιν ἀπολέσθαι. Ζεὺς δὲ ἀπειπὼν φαίνειν Ἠοῖ τε καὶ Σελήνῃ καὶ Ἡλίῳ τὸ μὲν φάρμακον αὐτὸς ἔτεμε φθάσας, Ἡρακλέα δὲ σύμμαχον δι' Ἀθηνᾶς ἐπεκαλέσατο. κἀκεῖνος πρῶτον μὲν
ἐτόξευσεν Ἀλκυονέα· πίπτων δὲ ἐπὶ τῆς γῆς μᾶλλον ἀνεθάλ- 6
πετο· Ἀθηνᾶς δὲ ὑποθεμένης ἔξω τῆς Πελλήνης, τουτέστι
τῆς χώρας ἐν ᾗ γεγέννηται, εἵλκυσεν αὐτόν. κἀκεῖνος μὲν 2
οὕτως ἐτελεύτησε, Πορφυρίων δὲ Ἡρακλεῖ κατὰ τὴν μάχην ἐφώρμησε καὶ Ἥρᾳ. Ζεὺς δὲ αὐτῷ πόθον Ἥρας ἐνέβαλεν, ἡ δὲ καταρρηγνύντος τοὺς πέπλους καὶ βιάζεσθαι θέλοντος βοηθοὺς ἐπεκαλεῖτο, καὶ Διὸς κεραυνώσαντος αὐτὸν Ἡρακλῆς τοξεύσας ἀπέκτεινεν.

γινομένης Aegius 1. αὐτὸ EA: ταὐτὸ Commelinus 2. ἐκέλευε E: ἐκέλευσε A (conf. adn.) 4. ἐκτεμὼν EA conf. adn. I 1. 4 8. δήμητρα EA: Δημήτηρ Zenob. I 7 13. οὐρανὸν* EHe: οὐρανοὺς A 15. οὗτος E: οὗτος δὲ A 21. ἔτεμε* EHr: ἔταμε A 23. πίπτων* E: αὐτὸς A (conf. adn.) 24. πελλήνης* E: σελήνης A Παλλήνης He 26. ἐτελεύτησε E: ἐτελεύτα A (conf. adn. I 4. 2, 2) κατὰ τὴν* EHr: κατὰ A 29. βοηθοὺς* EHe: βοηθὸς A

2 *τῶν δὲ λοιπῶν Ἀπόλλων μὲν Εφιάλτου τὸν ἀριστερὸν*
3 *ἐτόξευσεν ὀφθαλμόν, Ἡρακλῆς δὲ τὸν δεξιόν· Ἀθηνᾶ δὲ Ἐγ-*
κελάδῳ φεύγοντι Σικελίαν ἐπέρριψε τὴν νῆσον, Πάλλαντος δὲ
τὴν δορὰν ἐκτεμοῦσα ταύτῃ κατὰ τὴν μάχην τὸ ἴδιον ἐσκέ-
5 *πτετο σῶμα. Ἑρμῆς δὲ τὴν Ἄιδος κυνῆν ἔχων κατὰ τὴν μά-*
χην Ἱππόλυτον ἀπέκτεινε καὶ ἄλλους ἄλλοι. τοὺς πλείους δὲ
κεραυνοῖς Ζεὺς βαλὼν διέφθειρε, πάντας δὲ Ἡρακλῆς ἀπολ-
λυμένους ἐτόξευσεν.
3 *ὡς δ' ἐκράτησαν θεοὶ τῶν Γιγάντων, Γῆ μᾶλλον χολω-*
θεῖσα μίγνυται Ταρτάρῳ καὶ γεννᾷ Τυφῶνα ἐν Σικελίᾳ με-
2 *μιγμένην ἔχοντα φύσιν ἀνδρὸς καὶ θηρός. οὗτος μὲν καὶ*
μεγέθει καὶ δυνάμει πάντων διήνεγκεν, ὅσους ἐγέννησε Γῆ·
ἦν δὲ αὐτῷ τὰ μὲν ἄχρι μηρῶν ἄπληστον μέγεθος ἀνδρόμορ-
φον, ὥστε ὑπερέχειν μὲν πάντων τῶν ὀρῶν, ἡ δὲ κεφαλὴ
3 *πολλάκις καὶ τῶν ἀστέρων ἔψαυε, χεῖρας δὲ εἶχε τὴν μὲν ἐπὶ*
τὴν ἑσπέραν ἐκτεινομένην, τὴν δὲ ἐπὶ τὰς ἀνατολάς, ἐκ δὲ
4 *τούτων ἐξεῖχον ἑκατὸν κεφαλαὶ δρακόντων· τὰ δὲ ἀπὸ μηρῶν*
εἶχεν ὑπερμεγέθεις σπείρας ἐχιδνῶν, ὧν ὁλκοὶ πρὸς αὐτὴν
ἐκτεινόμενοι κορυφὴν συριγμὸν πολὺν ἐξίεσαν· πᾶν δὲ αὐτοῦ
τὸ σῶμα κατεπτέρωτο, αὐχμηραὶ δὲ ἐκ κεφαλῆς καὶ γενύων
5 *τρίχες ἐξηνέμωντο, πῦρ δὲ ἐδέρκετο τοῖς ὄμμασι. τοιοῦτος*
ὢν ὁ Τυφὼν καὶ τηλικοῦτος ἡμμένας βάλλων πέτρας ἐπ'
αὐτὸν τὸν οὐρανὸν μετὰ συριγμῶν ὁμοῦ καὶ βοῆς ἐφέρετο,
πολλὴν δὲ ἐκ τοῦ στόματος πυρὸς ἐξέβρασσε ζάλην.
6 *θεοὶ δ' ὡς εἶδον αὐτὸν ἐπ' οὐρανὸν ὁρμώμενον εἰς Αἴ-*
γυπτον φυγάδες ἐφέροντο καὶ διωκόμενοι τὰς ἰδέας μετέβαλον
7 *εἰς ζῷα. Ζεὺς δὲ πόρρω μὲν ὄντα Τυφῶνα ἔβαλλε κεραυνοῖς,*
πλησίον δὲ γενόμενον ἀδαμαντίνῃ κατέπληττεν ἅρπῃ καὶ φεύ-
γοντα ἄχρι τοῦ Καυκασίου ὄρους συνεδίωξε· τοῦτο δὲ ὑπέρ-

---

2. *Ἐγκελάδῳ* conf. adn. I 1. 4   4. *ἐσκέπτετο* E (l. *ἐσκέπετο*): *ἐπέσκεπε* A   5. *κυνῆν* E: *κυνέην* A   10. *Σικελίᾳ* E A: *Κιλικίᾳ* Palmerius   13. *ἄπληστον* E: *ἄπλετον* A   15. *καὶ τῶν ἀστέρων* E: *τῶν ἄστρων* A (conf. adn.)   20. *γενύων* E: *γενείων* A   24. *πολλὴν ... ζάλην** E: *πολλὴ ... ζάλη* A (conf. adn.)   *ἐξέβρασσε* conf. adn. I 1. 4   25. *θεοὶ* E A: *οἱ θεοὶ* tacite edidit Hr (cur?)   26. *μετέβαλον* E Par[4]: *μετέβαλλον* A   28. *κατέπληττεν** E Faber: *κατέπτησεν* A   29. *Καυκασίου* E A: *Κασίου* Pal. Aegius

κειται Συρίας. κεῖθι δὲ αὐτὸν κατατετρωμένον ἰδὼν εἰς χεῖρας
συνέβαλε. Τυφὼν δὲ ταῖς σπείραις περιφλεχθεὶς κατέσχεν 8
αὐτὸν καὶ τὴν ἅρπην περιελόμενος τά τε τῶν ποδῶν καὶ
χειρῶν κατέτεμε νεῦρα, ἀράμενος δὲ ἐπὶ τῶν ὤμων συνεκό-
μισεν αὐτὸν διὰ τῆς θαλάσσης εἰς Σικελίαν καὶ παρελθὼν
εἰς τὸ Κωρύκιον ἄντρον κατέθετο. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ νεῦρα 9
...... ἐν ἄρκτου δορᾷ κεῖθι ἀπέθετο καὶ κατέστησε φύλακα
.... ἡμίθηρ δὲ ἦν αὕτη ἡ κόρη. Ἑρμῆς δὲ καὶ αἰγυπιὸς
ἐκκλέψαντες .... ἥρμοσαν τῷ Διὶ λαθόντες. Ζεὺς δὲ τὴν 10
ἰδίαν ἀνακομισάμενος ..... ἐξαίφνης ἐξ οὐρανοῦ ἐπὶ πτη-
νῶν ὀχούμενος ἵππων βάλλων κεραυνοῖς ἐπ' ὄρος ἐδίωξε
Τυφῶνα τὸ [τε add. E] λεγόμενον Νύσσαν, ὅπου Μοῖραι αὐτὸν
διωχθέντα ἠπάτησαν· πεισθεὶς γάρ, ὅτι ῥωσθήσεται μᾶλλον,
ἐγεύσατο τῶν ἐφημέρων καρπῶν. διόπερ ἐπιδιωκόμενος αὖθις 11
ἧκεν εἰς Θρᾴκην καὶ μαχόμενος περὶ τὸν Αἶμον ὅλα ἔβαλλεν
ὄρη. τούτων δὲ ἐπ' αὐτὸν ὑπὸ τοῦ κεραυνοῦ πάλιν ὠθου-
μένων πολὺ ἐπὶ τοῦ ὄρους ἐξέκλυσεν αἷμα· καί φασιν ἐκ
τούτου τὸ ὄρος κληθῆναι Αἶμον. φεύγειν δὲ ὁρμηθέντι αὐτῷ 12
διὰ τῆς Σικελοῦ θαλάσσης Ζεὺς ἐπέρριψεν Αἴτνην ὄρος ἐν
Σικελίᾳ· τοῦτο ὑπερμέγεθές ἐστιν· ἐξ οὗ μέχρι δεῦρό φασιν
ἀπὸ τῶν βληθέντων κεραυνῶν γίνεσθαι πυρὸς ἀναφυσήματα.
IV. Ὅτι Προμηθεὺς ἐξ ὕδατος καὶ γῆς ἀνθρώπους πλά- VII
σας ἔδωκεν αὐτοῖς καὶ πῦρ λάθρᾳ Διὸς ἐν νάρθηκι κρύψας.
ὡς δὲ ᾔσθετο Ζεὺς ἐπέταξεν [ὑπέταξεν E] Ἡφαίστῳ τῷ Καυ-
κάσῳ ὄρει τὸ σῶμα αὐτοῦ προσηλῶσαι· τοῦτο δὲ Σκυθικὸν
ὄρος ἐστίν. ἐν δὴ τούτῳ προσηλωθεὶς Προμηθεὺς πολλῶν 2
ἐτῶν ἀριθμὸν ἐδέδετο, καθ' ἑκάστην δὲ ἡμέραν ἀετὸς ἐφιπτά-
μενος αὐτοῦ τοὺς λοβοὺς ἐνέμετο τῶν ἡπάτων αὐξανομένων
διὰ νυκτός, μέχρις Ἡρακλῆς ὕστερον τόν τε ἀετὸν τοξεύσας 3
ἀνεῖλε καὶ Προμηθέα ἔλυσεν.

6. *Κωρύκιον** E He: *κορύβιον* A 7. spatium E: *κρύψας* A *ἐν** E Faber: om. A *φύλακα** E Faber: om. A 8. spatium unius verbi E: *φύμην* (quod in *Δελφύνην* correxit Faber) *δράκαιναν* A *αἰγυπιὸς* E: *Αἰγίπαν* A 9. spatium E: *τὰ νεῦρα* A 10. spatium E: *ἰσχὺν* A *ἐξ οὐρανοῦ* conf. Comm. Ribb. p. 143 12. *νύσσαν* E A: *νῦσαν* Pal. *Νῦσαν* Hr 18. *τὸ ὄρος** E edd.: *τοῦ ὄρους* A *ὁρμηθέντι αὐτῷ** E: *ὁρμηθέντος αὐτοῦ* A 19. *Σικελικῆς* A 28. *αὐτοῦ* A E: *αὐτῷ* He *τῶν ἡπάτων αὐξανομένων* E A: *τοῦ ἥπατος αὐξανομένου* He

2 τῶν δὲ λοιπῶν Ἀπόλλων μὲν Εφιάλτου τὸν ἀριστερὸν
3 ἐτόξευσεν ὀφθαλμόν, Ἡρακλῆς δὲ τὸν δεξιόν· Ἀθηνᾶ δὲ Ἐγ-
κελάδῳ φεύγοντι Σικελίαν ἐπέρριψε τὴν νῆσον, Πάλλαντος δὲ
τὴν δορὰν ἐκτεμοῦσα ταύτῃ κατὰ τὴν μάχην τὸ ἴδιον ἐσκέ-
5 πτετο σῶμα. Ἑρμῆς δὲ τὴν Ἄιδος κυνῆν ἔχων κατὰ τὴν μά-
χην Ἱππόλυτον ἀπέκτεινε καὶ ἄλλους ἄλλοι. τοὺς πλείους δὲ
κεραυνοῖς Ζεὺς βαλὼν διέφθειρε, πάντας δὲ Ἡρακλῆς ἀπολ-
λυμένους ἐτόξευσεν.

3 ὡς δ' ἐκράτησαν θεοὶ τῶν Γιγάντων, Γῆ μᾶλλον χολω-
θεῖσα μίγνυται Ταρτάρῳ καὶ γεννᾷ Τυφῶνα ἐν Σικελίᾳ με-
2 μιγμένην ἔχοντα φύσιν ἀνδρὸς καὶ θηρός. οὗτος μὲν καὶ
μεγέθει καὶ δυνάμει πάντων διήνεγκεν, ὅσους ἐγέννησε Γῆ·
ἦν δὲ αὐτῷ τὰ μὲν ἄχρι μηρῶν ἄπληστον μέγεθος ἀνδρόμορ-
φον, ὥστε ὑπερέχειν μὲν πάντων τῶν ὀρῶν, ἡ δὲ κεφαλὴ
3 πολλάκις καὶ τῶν ἀστέρων ἔψαυε, χεῖρας δὲ εἶχε τὴν μὲν ἐπὶ
τὴν ἑσπέραν ἐκτεινομένην, τὴν δὲ ἐπὶ τὰς ἀνατολάς, ἐκ δὲ
4 τούτων ἐξεῖχον ἑκατὸν κεφαλαὶ δρακόντων· τὰ δὲ ἀπὸ μηρῶν
εἶχεν ὑπερμεγέθεις σπείρας ἐχιδνῶν, ὧν ὁλκοὶ πρὸς αὐτὴν
ἐκτεινόμενοι κορυφὴν συριγμὸν πολὺν ἐξίεσαν· πᾶν δὲ αὐτοῦ
τὸ σῶμα κατεπτέρωτο, αὐχμηραὶ δὲ ἐκ κεφαλῆς καὶ γενύων
5 τρίχες ἐξηνέμωντο, πῦρ δὲ ἐδέρκετο τοῖς ὄμμασι. τοιοῦτος
ὢν ὁ Τυφὼν καὶ τηλικοῦτος ἡμμένας βάλλων πέτρας ἐπ'
αὐτὸν τὸν οὐρανὸν μετὰ συριγμῶν ὁμοῦ καὶ βοῆς ἐφέρετο,
πολλὴν δὲ ἐκ τοῦ στόματος πυρὸς ἐξέβρασσε ζάλην.

6 θεοὶ δ' ὡς εἶδον αὐτὸν ἐπ' οὐρανὸν ὁρμώμενον εἰς Αἴ-
γυπτον φυγάδες ἐφέροντο καὶ διωκόμενοι τὰς ἰδέας μετέβαλον
7 εἰς ζῷα. Ζεὺς δὲ πόρρω μὲν ὄντα Τυφῶνα ἔβαλλε κεραυνοῖς,
πλησίον δὲ γενόμενον ἀδαμαντίνῃ κατέπληττεν ἅρπῃ καὶ φεύ-
γοντα ἄχρι τοῦ Καυκασίου ὄρους συνεδίωξε· τοῦτο δὲ ὑπέρ-

---

2. Ἐγκελάδῳ conf. adn. I 1. 4 4. ἐσκέπτετο E (l. ἐσκέπετο): ἐπέσκεπε A 5. κυνῆν E: κυνέην A 10. Σικελίᾳ EA: Κιλικίᾳ Palmerius 13. ἄπληστον E: ἄπλετον A 15. καὶ τῶν ἀστέρων E: τῶν ἄστρων A (conf. adn.) 20. γενύων E: γενείων A 24. πολλὴν ... ζάλην* E: πολλὴ ... ζάλη A (conf. adn.) ἐξέβρασσε conf. adn. I 1. 4 25. θεοὶ EA: οἱ θεοὶ tacite edidit Hr (cur?) 26. μετέβαλον E Par[4]: μετέβαλλον A 28. κατέπληττεν* E Faber: κατέπτησεν A
29. Καυκασίου EA: Κασίου Pal. Aegius

VIII. Ὅτι Καλύκης καὶ Ἀεθλίου παῖς Ἐνδυμίων γίνεται, 5
ὅστις ἐκ Θεσσαλίας Αἰολέας ἀγαγὼν Ἦλιν ᾤκησε. λέγουσι
δὲ αὐτόν τινες ἐκ Διὸς γενέσθαι. τούτου κάλλει διενεγκόντος
ἠράσθη Σελήνη. Ζεὺς δὲ αὐτῷ δίδωσιν ὃ βούλεται ἑλέσθαι·
ὃ δὲ αἱρεῖται κοιμᾶσθαι διὰ παντὸς ἀθάνατος καὶ ἀγήρως
μένων.

IX. Ὅτι Οἰνεὺς βασιλεὺς Καλυδῶνος τῆς ἐν Αἰτωλίᾳ VIII
παρὰ Διονύσου φυτὸν ἀμπέλου πρῶτος ἔλαβε. γήμας δὲ Ἀλ-
θαίαν τὴν Θεστίου γεννᾷ Τοξέα, ὃν αὐτὸς ἔκτεινεν ὑπερπηδή-
σαντα τὴν τάφρον· γεννᾷ καὶ Δηιάνειραν καὶ λοιποὺς παῖδας.
αὕτη ἡνιοχεῖν κατὰ πόλεμον ἤσκει καὶ περὶ τῶν γάμων αὐτῆς
Ἡρακλῆς πρὸς Ἀχελῷον ἐπάλαισε. γεννᾷ δὲ Ἀλθαία καὶ 2
Μελέαγρον ἐξ Ἄρεος, ὥς τινες λέγουσι. τούτου δ' ὄντος ἡμε-
ρῶν ἑπτὰ παραγενομένας τὰς Μοίρας φασὶν εἰπεῖν· τότε τε-
λευτήσει Μελέαγρος, ὅταν ὁ καιόμενος ἐπὶ τῆς ἐσχάρας δαλὸς
κατακαῇ. τοῦτο ἀκούσασα Ἀλθαία τὸν δαλὸν ἀνείλετο καὶ
κατέθετο εἰς λάρνακα. Μελέαγρος δὲ ἀνὴρ ἄτρωτος καὶ γεν- 2
ναῖος γενόμενος τόνδε τὸν τρόπον ἐτελεύτησεν. ἐτησίων καρ-
πῶν ἐν τῇ χώρᾳ γενομένων τὰς ἀπαρχὰς Οἰνεὺς πᾶσι θεοῖς
θύων μόνης Ἀρτέμιδος ἐξελάθετο· ἡ δὲ μηνίσασα κάπρον
ἐφῆκεν [ἀφῆκεν E] ἔξοχον μεγέθει τε καὶ ῥώμῃ, ὃς τήν τε
γῆν ἄσπορον ἐτίθει καὶ τὰ βοσκήματα καὶ τοὺς ἐντυγχάνοντας
διέφθειρεν. ἐπὶ τοῦτον τὸν κάπρον τοὺς ἀρίστους ἐκ τῆς 3
Ἑλλάδος πάντας συνεκάλεσε καὶ τῷ κτείναντι τὸν θῆρα τὴν
δορὰν δώσειν ἀριστεῖον ἐπηγγείλατο. καὶ δὴ συνήλθοσαν,
μεθ' ὧν ἦν καὶ Μελέαγρος καὶ οἱ τούτου μητράδελφοι παῖ- 4
δες Θεστίου καὶ Ἀταλάντη, ἐξ ἧς καὶ τέκνον ποιήσασθαι 5
Μελέαγρος ἔσπευδεν ἔχων γυναῖκα Κλεοπάτραν τινά.

συνελθόντας δὲ τοὺς τῶν Ἑλλήνων ἀρίστους ἐξένισεν ὁ

---

2. ᾤκησε EA: ᾤκισε edd. 8. πρῶτος* E edd.: πρῶτα A 11. αὕτη* EBr: αὐτὴ A ἡνιοχεῖν κατὰ E: ἡνιόχει κατὰ Pal. ἡνιόχει καὶ τὰ κατὰ A edd. 14. φασὶν* E Zenob. V 33 Westermannus: φασί δε A τελευτήσει Μελέαγρος EA Zenob. ib.: τελευτήσειν Μελέαγρον He (conf. adn.) 17. ἄτρωτος καὶ conf. adn. 20. ἡ δὲ μηνίσασα* E ἡ δὲ ὀργισθεῖσα Zenob. ib.: μηνίσασα δὲ ἡ θεὸς A (fortasse θεὸς in archetypo suprascriptum erat) 27. τέκνον ποιήσασθαι EA: τεκνοποιήσασθαι Faber

2 V. Ὅτι Προμηθέως παῖς Δευκαλίων ἐγένετο βασιλεὺς τῶν
περὶ τὴν Φθίαν τόπων· ἔσχε δὲ γυναῖκα Πύρραν τὴν Ἐπι-
μηθέως καὶ Πανδώρας, τῆς ὑπὸ θεῶν πλασθείσης πρώτης
2 γυναικός. ἐπεὶ δὲ ἀφανίσαι Ζεὺς τὸ χαλκοῦν ἠθέλησε γένος,
ὑποθεμένου τοῦ Προμηθέως Δευκαλίων τεκτηνάμενος λάρ-
νακα καὶ τὰ ἐπιτήδεια ἐνθέμενος εἰς ταύτην μετὰ Πύρρας
4 εἰσέδυ. καὶ κατακλυσμοῦ γεγονότος ἐπὶ νυχθημέροις ἐννέα
φερόμενος ἐν τῇ λάρνακι διὰ τῶν ὑδάτων εἰς Παρνασσὸν
καταντᾷ, κἀκεῖ τῶν ὄμβρων παῦλαν λαβόντων ἐκβὰς θύει Διὶ
5 Φυξίῳ. Ζεὺς δὲ πέμψας Ἑρμῆν πρὸς αὐτὸν ἐπέτρεψεν αἱρεῖ-
σθαι ὅ τι βούλεται. ὁ δὲ αἱρεῖται ἀνθρώπους αὐτῷ γενέσθαι,
καὶ Διὸς εἰπόντος ὑπὲρ κεφαλῆς ἔβαλλε λίθους, καὶ οὓς μὲν
ἔβαλε Δευκαλίων, ἄνδρες ἐγένοντο, οὓς δὲ Πύρρα, γυναῖκες.
3 VI. Ὅτι οἱ τὸν Πελοπόν⟨ν⟩ησον οἰκοῦντες Δωριεῖς λέγον-
ται, οἱ δὲ περὶ τὴν Θεσσαλίαν Αἰολεῖς ἀπὸ Δώρου καὶ Αἰόλου
τῶν αὐταδέλφων, υἱῶν δὲ Ἕλληνος, ὃν πρῶτον ἐγέννησεν ἐκ
Πύρρας ὁ Δευκαλίων.
4 2 VII. Ὅτι Ἀλωεὺς ἔσχε γυναῖκα τὴν Ἰφιμέδειαν, ἐξ ἧς
καὶ Ποσειδῶνος Ὦτος καὶ Ἐφιάλτης οἱ Ἀλωάδαι λεγόμενοι.
3 οὗτοι κατ' ἐνιαυτὸν ηὔξανον πλάτος μὲν πηχυαῖον, μῆκος δὲ
ὀργυιαῖον· ἐννέα δὲ ἐτῶν γενόμενοι καὶ τὸ μὲν πλάτος πηχῶν
ἔχοντες ἐννέα, τὸ δὲ μέγεθος ὀργυιῶν ἐννέα, πρὸς θεοὺς
μάχεσθαι διενοοῦντο, καὶ τὴν μὲν Ὄσσαν ἐπὶ τὸν Ὄλυμπον
ἔθεσαν, ἐπὶ δὲ τὴν Ὄσσαν θέντες τὸ Πήλιον διὰ τῶν ὀρῶν
τούτων ἠπείλουν εἰς οὐρανὸν ἀνελθεῖν, καὶ τὴν μὲν θάλασσαν
χώσαντες τοῖς ὄρεσιν ἐκποιήσειν ἔλεγον ἤπειρον, τὴν δὲ γῆν
4 θάλασσαν. ἐμνῶντο δὲ Ἐφιάλτης μὲν Ἥραν, Ὦτος δὲ Ἄρ-
τεμιν. ἔδησαν δὲ καὶ Ἄρην· τοῦτον μὲν οὖν Ἑρμῆς ἐξέκλεψε,
ἀνεῖλε δὲ καὶ τοὺς Ἀλωάδας ἐν Νάξῳ Ἄρτεμις δι' ἀπάτης.
ἀλλάξασα γὰρ τὴν ἰδέαν εἰς ἔλαφον διὰ μέσων αὐτῶν ἐπήδησεν,
οἳ δὲ βουλόμενοι εὐστοχῆσαι τὸ θηρίον ἐφ' ἑαυτοὺς ἠκόντισαν.

---

4. ἠθέλησε* E Schol. Hom. Α 126: ἤθελε A Hr 8. Παρνασσὸν E Schol. Hom. ib.: Παρνασὸν A Hr 10. αἱρεῖσθαι* E: αἰτεῖσθαι A Schol. Hom. ib. (conf. adn.) 13. ἔβαλε ... ἐγένοντο E A: ἔβαλλε ... ἐγίνοντο Schol. Hom. ib. Hr 21. πηχῶν E A: πηχέων Hr 22. θεοὺς* E He: θεὸν A 26. ἐκποιήσειν E: ποιήσειν A 29. Νάξῳ* E Galeus: ἀμάξῳ vel ἁμάξῃ (Pal.) A 31. τὸ θηρίον E A: τοῦ θηρίου He

VIII. Ὅτι Καλύκης καὶ Ἀεθλίου παῖς Ἐνδυμίων γίνεται, 5
ὅστις ἐκ Θεσσαλίας Αἰολέας ἀγαγὼν Ἦλιν ᾤκησε. λέγουσι
δὲ αὐτόν τινες ἐκ Διὸς γενέσθαι. τούτου κάλλει διενεγκόντος
ἠράσθη Σελήνη. Ζεὺς δὲ αὐτῷ δίδωσιν ὃ βούλεται ἑλέσθαι·
ὃ δὲ αἱρεῖται κοιμᾶσθαι διὰ παντὸς ἀθάνατος καὶ ἀγήρως
μένων.

IX. Ὅτι Οἰνεὺς βασιλεὺς Καλυδῶνος τῆς ἐν Αἰτωλίᾳ VIII
παρὰ Διονύσου φυτὸν ἀμπέλου πρῶτος ἔλαβε. γήμας δὲ Ἀλ-
θαίαν τὴν Θεστίου γεννᾷ Τοξέα, ὃν αὐτὸς ἔκτεινεν ὑπερπηδή-
σαντα τὴν τάφρον· γεννᾷ καὶ Δηιάνειραν καὶ λοιποὺς παῖδας.
αὕτη ἡνιοχεῖν κατὰ πόλεμον ἤσκει καὶ περὶ τῶν γάμων αὐτῆς
Ἡρακλῆς πρὸς Ἀχελῷον ἐπάλαισε. γεννᾷ δὲ Ἀλθαία καὶ 2
Μελέαγρον ἐξ Ἄρεος, ὥς τινες λέγουσι. τούτου δ᾿ ὄντος ἡμε-
ρῶν ἑπτὰ παραγενομένας τὰς Μοίρας φασὶν εἰπεῖν· τότε τε-
λευτήσει Μελέαγρος, ὅταν ὁ καιόμενος ἐπὶ τῆς ἐσχάρας δαλὸς
κατακαῇ. τοῦτο ἀκούσασα Ἀλθαία τὸν δαλὸν ἀνείλετο καὶ
κατέθετο εἰς λάρνακα. Μελέαγρος δὲ ἀνὴρ ἄτρωτος καὶ γεν- 2
ναῖος γενόμενος τόνδε τὸν τρόπον ἐτελεύτησεν. ἐτησίων καρ-
πῶν ἐν τῇ χώρᾳ γενομένων τὰς ἀπαρχὰς Οἰνεὺς πᾶσι θεοῖς
θύων μόνης Ἀρτέμιδος ἐξελάθετο· ἣ δὲ μηνίσασα κάπρον
ἐφῆκεν [ἀφῆκεν E] ἔξοχον μεγέθει τε καὶ ῥώμῃ, ὃς τήν τε
γῆν ἄσπορον ἐτίθει καὶ τὰ βοσκήματα καὶ τοὺς ἐτυγχάνοντας
διέφθειρεν. ἐπὶ τοῦτον τὸν κάπρον τοὺς ἀρίστους ἐκ τῆς 3
Ἑλλάδος πάντας συνεκάλεσε καὶ τῷ κτείναντι τὸν θῆρα τὴν
δορὰν δώσειν ἀριστεῖον ἐπηγγείλατο. καὶ δὴ συνῆλθοσαν,
μεθ᾿ ὧν ἦν καὶ Μελέαγρος καὶ οἱ τούτου μητράδελφοι παῖ- 4
δες Θεστίου καὶ Ἀταλάντη, ἐξ ἧς καὶ τέκνον ποιήσασθαι 5
Μελέαγρος ἔσπευδεν ἔχων γυναῖκα Κλεοπάτραν τινά.

συνελθόντας δὲ τοὺς τῶν Ἑλλήνων ἀρίστους ἐξένισεν ὁ

---

2. ᾤκησε EA: ᾤκισε edd. 8. πρῶτος* E edd.: πρῶτα A 11. αὕτη* EBr: αὐτὴ A ἡνιοχεῖν κατὰ E: ἡνιόχει κατὰ Pal. ἡνιόχει καὶ τὰ κατὰ A edd. 14. φασὶν* E Zenob. V 33 Westermannus: φασὶ δε A τελευτήσει Μελέαγρος EA Zenob. ib.: τελευτήσειν Μελέαγρον He (conf. adn.) 17. ἄτρωτος καὶ conf. adn. 20. ἣ δὲ μηνίσασα* E ἣ δὲ ὀργισθεῖσα Zenob. ib.: μηνίσασα δὲ ἡ θεὸς A (fortasse θεὸς in archetypo suprascriptum erat) 27. τέκνον ποιήσασθαι EA: τεκνοποιήσασθαι Faber

Οἰνεὺς ἐφ᾽ ἡμέρας ἐννέα· τῇ δεκάτῃ δὲ ἐπὶ τὸν κάπρον ἐξ-
6 ῄεσαν, ὃν Ἀταλάντη πρώτη εἰς τὰ νῶτα ἐτόξευσε, δεύτερος
δὲ Μελέαγρος εἰς τὸν κενεῶνα πλήξας ἀπέκτεινε καὶ λαβὼν
7 τὸ δέρας ἔδωκεν Ἀταλάντῃ. οἱ δὲ Θεστίου παῖδες ἀδοξοῦν-
τες, εἰ παρόντων ἀνδρῶν γυνὴ τὰ ἀριστεῖα λήψεται, τὸ δέρας
αὐτοὶ ἀφείλαντο κατὰ γένος αὐτοῖς προσήκειν λέγοντες, εἰ
3 Μελέαγρος λαμβάνειν μὴ προαιροῖτο. ὀργισθεὶς δὲ Μελέα-
γρος τοὺς μὲν αὐτοῦ μητραδέλφους ἀπέκτεινε, τὸ δὲ δέρας
ἔδωκε τῇ Ἀταλάντῃ. Ἀλθαία δὲ λυπηθεῖσα ἐπὶ τῇ τῶν ἀδελ-
φῶν ἀπωλείᾳ τὸν δαλὸν ἧψε, καὶ ὁ Μελέαγρος ἐξαίφνης ἀπέ-
2 θανεν. οἱ δέ φασιν οὐχ οὕτω Μελέαγρον τελευτῆσαι, ἀμφισ-
βητούντων δὲ τῆς θήρας τῶν Θεστίου παίδων, ὡς Ἰφίκλου
πρώτου βαλόντος, Κούρησι καὶ Καλυδωνίοις πόλεμον ἐνστῆ-
ναι, ἐξελθόντος δὲ Μελεάγρου καί τινας τῶν Θεστίου παίδων
φονεύσαντος Ἀλθαίαν ἀράσασθαι κατ᾽ αὐτοῦ, τὸν δὲ ὀργι-
3 ζόμενον οἴκοι μένειν· ἤδη δὲ τῶν πολεμίων τοῖς τείχεσι προσ-
πελαζόντων καὶ τῶν πολιτῶν μεθ᾽ ἱκετηρίας ἀξιούντων βοη-
θεῖν, μόλις πεισθέντα ὑπὸ τῆς γυναικὸς ἐξελθεῖν καὶ τοὺς
4 λοιποὺς κτείναντα τῶν Θεστίου παίδων ἀποθανεῖν. μετὰ δὲ
τὸν Μελεάγρου θάνατον Ἀλθαία καὶ Κλεοπάτρα ἑαυτὰς ἀνήρ-
τησαν, αἱ δὲ θρηνοῦσαι τὸν νεκρὸν γυναῖκες ἀπωρνεώθησαν.

IX 3 X. Ὅτι κολάζεται Σίσυφος ἐν Ἅιδου πέτρον ταῖς χερσὶ
καὶ κεφαλῇ κυλίων καὶ τοῦτον μὲν ὑπερβαλεῖν θέλων· οὗτος
δὲ ὠθούμενος ὑπ᾽ αὐτοῦ ὠθεῖται πάλιν εἰς τοὐπίσω. τίνει
δὲ ταύτην τὴν δίκην διὰ τὴν Ἀσωποῦ θυγατέρα [θυγάτρα E]·
ἁρπάσαντα γὰρ αὐτὴν Δία κρύφα Ἀσωπῷ ζητοῦντι μηνῦσαι
λέγεται.

7 XI. Ὅτι Σαλμωνεὺς τὸ μὲν πρῶτον περὶ Θεσσαλίαν κατ-
ῴκει, παραγενόμενος δὲ αὖθις εἰς Ἦλιν ἐκεῖ πόλιν ἔκτισεν.
ὑβριστὴς δὲ ὢν καὶ τῷ Διὶ ἐξισοῦσθαι θέλων διὰ τὴν ἀσέ-
βειαν ἐκολάσθη. ἔλεγε γὰρ ἑαυτὸν εἶναι Δία καὶ τὰς ἐκείνου
θυσίας ἀφελόμενος ἑαυτῷ προσέτασσε θύειν, καὶ βύρσας μὲν
ἐξηραμ⟨μ⟩ένας ἐξ ἁρμάτων μετὰ λεβήτων χαλκέων σύρων ἔλεγε

6. αὐτοὶ E: αὐτῇ A αὐτὴν Hr ἀφείλαντο E: ἀφείλοντο A 12. τῆς θήρας EA conf. adn. 17. μεθ᾽ ἱκετηρίας ἀξιούντων conf. adn. 20. ἀνήρτησαν* E: ἀνήρπασαν A (ἀνήπασαν Pal.) 33. χαλκέων E: χαλκῶν A

*βροντᾶν, βάλλων δὲ εἰς οὐρανὸν αἰθομένας λαμπάδας ἔλεγεν
ἀστράπτειν. Ζεὺς δὲ αὐτὸν κεραυνώσας τὴν κτισθεῖσαν ὑπ᾽
αὐτοῦ πόλιν καὶ τοὺς οἰκήτορας πάντας ἠφάνισεν.*

XII. *Ὅτι Ἀμυθάονος* [*ἀμυθάωνος* E] *καὶ Εἰδομένης Βίας* 11
*καὶ Μελάμπους υἱοί, Πύλον οἰκοῦντες. ἐπὶ τῶν χωρίων δὲ
διατελῶν Μελάμπους, οὔσης πρὸ τῆς οἰκήσεως αὐτοῦ δρυός,
torum formis deprehenditur, quamquam hic quidem de Attici sermonis usu constat (conf. Phrynichum s. v. *χρύσεα* cum docta Lobeckii adnotatione p. 208). Atque etiam apud Apollodorum de substantivo *κυνέη* fortasse dubitaveris, quia *κυνῆν* semper legimus in Persei expeditione II 4. 2 s., atque solo loco, quo praeterea *κυνέην* codices exhibent, I 6. 2, 5 epitoma formam *κυνῆν* praebet, quam reponere Hercherus oblitus est. Sed accedunt tot exempla adiectivorum neque in excerptis neque in codicibus contractorum, partim aliis insuper testimoniis firmata, ut horum omnium mutationem invito scriptori Hercherus obtrusisse videatur. Nam viginti fere contractis haec opponuntur soluta: I 6. 2, 5 *χαλκέοις* A, 9. 7 *χαλκέων* E *χαλκέων* A, II 4. 1, 1 *χάλκεον* EA Zenob. I 41 *χαλκοῦν* Schol. Hom. Ξ 319, II 5. 6, 2 *χάλκεα* EA Pedias., 5. 10, 5 *χρύσεον* A (*χρύσειον* Pedias.), 5. 11, 2 *χρύσεα* A (*χρύσεια* Pedias.), III 9. 2, 6 *χρύσεα* EA, 15. 8, 2 *πορφυρέαν* EA.[1]) Hunc consensum inter excerpta et libros ne casui tribuamus, eo admonemur, quod, praeter I 9. 7 et vocem interpolatam *κυαναῖ* E: *κυάνεαι* A I 9. 25, 2, omnibus locis, quibus excerpta cum textu comparare licet, eandem constantiam etiam in formis contractis adhibitis animadvertimus (*χαλκοῦν* I 7. 2, 2, II 5. 1, 5, *χαλκοῦς* I 9. 23, 3 *χρυσοῦν* II 4. 11, 8, *χαλκῇ* 7. 3, 5, *σιδηρᾶν* III 16. 1, 2). Eoque libentius epitomae auctoritati hic confidemus, quod alia epicae dialecti vestigia eius auxilio e textu nunc removentur: II 5. 11, 10 *ἀετὸν* E Pedias.: *αἰετὸν* A; I 9. 22, 5 et 23, 2 *νεὼς* E: *νηὸς* A.

4, 24 I 2. 1, 4: *καὶ καθείρξαντες αὐτοὺς ἐν τῷ Ταρτάρῳ τοὺς ἑκατόγχειρας κατέστησαν* [*καθίστασαν* A] *φύλακας*] Imperfectum huic loco aptum non esse non fugit Bekkerum, qui propter praesentia *κρατοῦσι* et *διακληροῦνται* proposuit *καθιστᾶσι*. Tu vero *κατέστησαν*, quod iam Commelinus ex editionis Romanae lectione *καθέστησαν* elicuerat, grato animo ex epitoma recipias, collatis I 6. 3, 9 *καὶ φύλακα κατέστησε Δελφύνην δράκαιναν*, II 1. 3, 3 *φύλακα αὐτῆς κατέστησεν Ἄργον*, III 7.

1) II 1. 4, 2 *κἀκεῖ τῆς μεγάλης ῥίζης ἐγένετο γενεάρχης* e versu epico depromptum est (conf. Comm. Ribb. p. 136), ut I 5. 3 *ῥοιᾶς* (*ῥόας* Hr) *ἔδωκεν αὐτῇ φαγεῖν κόκκον* ex Hymn. in Cer. 372 *ῥοιῆς κόκκον ἔδωκε φαγεῖν*.

1, 1 *καὶ κηρύξας μηδένα θάπτειν φύλακας κατέστησεν.* Nam ea est indoles sermonis Apollodori, ut non modo in eorundem vocabulorum gyrum semper redeat, sed etiam eisdem formulis etiam atque etiam utatur (conf. Comm. Ribb. p. 141 et adn. II 5. 2, 6).

I 4. 1, 5: *οὗτος* (sc. *Τιτυὸς*) *ἐρχομένην* [*ἐρχόμενος* A] 6, 20
εἰς Πυθὼ Λητὼ πόθῳ κατασχεθεὶς ἐπισπᾶται] Iam antea mecum reputaveram, quid tandem deorum illum spretorem, ut Delphos proficisceretur, commovisset. Nunc vide, quam feliciter epitomae scriptura et hanc offensionem sustulerit et Apollodori fontem indicaverit Homerum λ 580 s.:

Λητὼ γὰρ ἥλκησε, Διὸς κυδρὴν παράκοιτιν,
Πυθώδ᾽ ἐρχομένην διὰ καλλιχόρου Πανοπῆος.

I 4. 2, 2: *τῆς κρίσεως γενομένης τὴν κιθάραν στρέψας* 7, 2
ἠγωνίζετο ὁ Ἀπόλλων καὶ ταὐτὸ ποιεῖν ἐκέλευε [*ἐκέλευσε* A] *τὸν Μαρσύαν*] Vix ullam ex omnibus quae in excerptorum textu latent difficultatibus maiorem dixerim, quam ut de imperfecti et aoristi differentia ubique iustum proferamus iudicium. Nam cum frequentissime ab excerptore temporum rationem temere mutatam esse videamus, quemnam ducem singulis locis, ubi utrumque fortasse defendi possit, sequamur, haud facile disceptatur. Propterea, ne hic illic inserere oporteat adnotatiunculas satis languidas, pauca exempla hic accuratius explanare sufficiat, reliqua qui vult ipse conquirat.

Sic I 4. 2, 2 imperfectum *ἐκέλευε* eam admittit explicationem, ut Apollinem, cum Marsyas artificium a deo praemonstratum imitari nequiret, compluries eum, ut tandem aliquando inciperet, adhortatum esse statuamus, non aliter quam I 9. 23, 2 *παρεκάλει δοῦναι τὸ δέρας αὐτῷ* iteratae Iasonis preces subintellegendae sunt. Contra II 7. 7, 11 *ἐκεῖ πυρὰν ποιήσας ἐκέλευεν ἐπιβάντος ὑφάπτειν*, per se quidem dubium non est, quin Hercules, cum nemo obsequi auderet, saepius, ut faces rogo admoverentur, imperaverit; attamen aoristum *ἐκέλευσεν* propterea praeferemus, quod consensione epitomae cum Zenobio et argumento Trachiniarum commendatur. Eandem ob causam I 7. 2, 2 *ἐπεὶ δὲ ἀφανίσαι Ζεὺς τὸ χαλκοῦν ἠθέλησε* [*ἤθελε* A] *γένος*, aoristum, etiamsi imperfectum bene ad sensum quadret, repono, quia *ἠθέλησε* etiam Schol. Hom *Α* 126

invenimus. I 6. 3 7 *Ζεὺς δὲ πόρρω μὲν ὄντα Τυφῶνα ἔβαλλε κεραυνοῖς, πλησίον δὲ γενόμενον ἀδαμαντίνῃ κατέπληττεν ἅρπῃ καὶ φεύγοντα ἄχρι τοῦ Κασίου ὄρους συνεδίωξε*, Hercherus propter antecedentia imperfecta (cui argumento non multum tribuo apud Apollodorum) *συνεδίωκε* restitui, eundemque aoristum Zenobio duce etiam expulit ex I 9. 19, 2 *Πολύφημος δὲ ἀκόυσας αὐτοῦ βοήσαντος σπασάμενος τὸ ξίφος ἐδίωξεν*; sed neutri coniecturae epitoma subvenit. I 6. 1, 6: *κἀκεῖνος πρῶτον μὲν ἐτόξευσεν Ἀλκυονέα, Ἀθηνᾶς δὲ ὑποθεμένης ἔξω τῆς Παλλήνης εἵλκυσεν αὐτόν· κἀκεῖνος μὲν οὕτως ἐτελεύτα*, aoristum *ἐτελεύτησε* facile ex epitoma reciperem, nisi cum Alcyoneo nobis res esset, qui quam tenaciter morti restiterit, notum est. I 6. 3, 6: *οἱ θεοὶ δὲ . . . εἰς Αἴγυπτον φυγάδες ἐφέροντο καὶ διωκόμενοι τὰς ἰδέας μετέβαλλον εἰς ζῷα*, genuina scriptura *μετέβαλον*, quae inde a Westermanno ex editionibus evanuit, excerptorum et Parisini quarti consensu restituitur. I 9. 21, 4: *οἱ δὲ παρέθεσαν αὐτῷ τράπεζαν ἐδεσμάτων, ἅρπυιαι δὲ ἐξαίφνης καταπτᾶσαι τὴν τροφὴν ἥρπαζον*: *ἥρπασαν* E; huic loco si cui alii aptissimus est aoristi usus, ut, quid mira cum velocitate advolantes Harpyiae confecerint, exprimatur. Cui contraria est antecendentis verbi *ἀνήρπαζον* (unde huc irrepsit) condicio, quo quod facere illae solebant describatur. Non minus certa res est, ubi totus tenor narrationis, qua summa rerum gestarum breviter exponitur, postulat, ut cum epitoma aoristum imperfecto praeferamus, e. gr. II 5. 8, 4 *πρὸς δὲ τοὺς Βίστονας διαγωνισάμενος καὶ Διομήδην ἀποκτείνας τοὺς λοιποὺς ἠνάγκαζε φεύγειν*: *ἠνάγκασε* E; III 5. 5, 4 *αἱρεθεὶς οὖν Λύκος πολέμαρχος ὑπὸ Θηβαίων ἐπετίθετο τῇ δυναστείᾳ, καὶ βασιλεύσας ἔτη εἴκοσι φονευθεὶς ὑπὸ Ζήθου καὶ Ἀμφίονος θνήσκει δι᾽ αἰτίαν τήνδε*: *ἐπέθετο* E; II 7. 7, 5 *ἀφικόμενος δὲ εἰς Τραχῖνα στρατιὰν ἐπ᾽ Οἰχαλίαν συνήθροιζεν, Εὔρυτον τιμωρήσασθαι θέλων. συμμαχούντων δὲ αὐτῷ Ἀρκάδων καὶ . . ., κτείνας μετὰ τῶν παίδων Εὔρυτον αἱρεῖ τὴν πόλιν*: *συνήθροισεν* E arg. Soph. Trach.; nam aliter se habet II 7. 3, 4 *στρατιὰν ἐπὶ Λακεδαίμονα συνήθροιζε*, quoniam sequitur ampla enarratio, quomodo Cephea Hercules precibus adierit, ut huius expeditionis particeps fieret.

I 6. 1, 6: κἀκεῖνος πρῶτον μὲν ἐτόξευσεν Ἀλκυονέα· πίπτων δὲ (αὐτὸς δὲ A) ἐπὶ τῆς γῆς μᾶλλον ἀνεθάλπετο] αὐτὸς, 7, 23
quod in editionibus legitur, in codicibus frustra requisivi. Lacuna igitur statuenda est, quam ut voce πίπτων expleamus, suadet Tzetzes, quem iam idem legisse videmus Schol. in Lyc. 63 πρῶτον μὲν οὖν τοξεύει Ἀλκυονέα, ὃς πίπτων ἐπὶ τὴν γῆν μᾶλλον ἀνεθάλπετο. Herchero autem Herm. VII p. 243 totum locum αὐτὸς δὲ — ἀνεθάλπετο eicienti, cum ad Antaeum magis quam ad Gigantem illum quadrarent, respondendum est revera Antaei indolem ad Alcyoneum translatam esse. Haec igitur verba non supervacanea sunt, postquam antecessit ἀθάνατος ἦν, ἐν ἧπερ ἐγεννήθη γῇ μαχόμενος, sed quomodo hoc intellegendum sit, apte explicant; atque sola ea restat quaestio, utrum in dura enuntiatorum coniunctione adquiescamus, an meliorem restituamus ὃς πίπτων vel ὁ δὲ πίπτων. Sed Apollodorus etiam alibi non satis curasse videtur, ut subiecti mutationem qua par erat perspicuitate indicaret, quod ab eleganti quidem atque limato stilo alienum est, conf. I 9. 23, 2 παρεκάλει δοῦναι τὸ δέρας αὐτῷ, ὃ δώσειν ὑπέσχετο (ὁ δὲ He), II 5. 2, 3 ἡ δὲ θατέρῳ τῶν ποδῶν ἐνείχετο περιπλακεῖσα· τῷ ῥοπάλῳ δὲ τὰς κεφαλὰς κόπτων οὐδὲν ἀνύειν ἐδύνατο EA, ubi Pediasimum secutus elegantiorem enuntiatorum coniunctionem Hercherus violenter instauravit ἡ μὲν οὖν . . ., ὁ δὲ τῷ ῥοπάλῳ; II 5. 4, 5 ἀνιαθεὶς δὲ Ἡρακλῆς . . . δόντος Χείρωνος φάρμακον ἐπέθηκεν. ἀνιατὸν δὲ ἔχων τὸ ἕλκος εἰς τὸ σπήλαιον ἀπαλλάσσεται, ubi δὲ ex epitoma post ἀνίατον inserendum, non cum Fabro ὁ δὲ praemittendum est. Atque his quidem locis, etiamsi traditam scripturam retineamus, sensus non obscuratur, contra II 4. 11, 4 Ἡρακλῆς . . . ἔφη τοῦτον Ἐργίνῳ καὶ Μινύαις δασμὸν κομίζειν. ἐφ᾽ οἷς ἀγανακτῶν ἐστράτευσεν ἐπὶ Θήβας, non dubito, quin aut ἐκεῖνος (He.) aut ipsum Ergini nomen (Hr.) exciderit.

I 6. 3, 3: ἡ δὲ κεφαλὴ πολλάκις καὶ τῶν ἄστρων ἔψαυε] 8, 14
πολλάκις contra Hercherum bene defendit Mayerus[1]), Gig. u. Tit. p. 22.; καί, quod in codicibus non exstat, per se ad augendam

---

1) Eundem confer ad 6. 3, 5 ἡμμένας βάλλων πέτρας.

descriptionis vim apte additum videtur, potest tamen esse ter-
8, 20 minationis *-κις* siglum male repetitum. — ib. 4: *αὐχμηραὶ δὲ ἐκ κεφαλῆς καὶ γενείων* [*γενύων* E] *τρίχες ἐξηνέμωντο*, plusquamperfectum ab optimis libris traditum fortasse nihil aliud vult significare, quam participium perfecti loco simillimo I 6. 1, 1 *καθειμένοι βαθεῖαν κόμην ἐκ κεφαλῆς καὶ γενείων*,
8, 24 ut imperfectum inducere opus non sit. — ib. 5 exemplum verbi *ἐκβράσσειν* intransitive usurpati exstare adhuc videbatur; sed cum ne transitivam quidem constructionem ab eo alienam esse videam, eamque a Diodoro[1]) praecipue, cui multa cum Apollodoro communia sunt, adhibitam esse, nullus dubito ex antiquiore excerptorum testimonio restituere: *πολλὴν δὲ ἐκ τοῦ στόματος πυρὸς ἐξέβρασσε ζάλην* (conf. E XXII 1 *ἐκβρασθέντα*).

9, 18 I 6. 3, 12: *φεύγειν δὲ ὁρμηθέντι αὐτῷ ... Ζεὺς ἐπέρριψεν Αἴτνην ὄρος* E: *ὁρμηθέντος αὐτοῦ* A] Etiamsi genetivus qui vocatur absolutus nihil incommodi hic habeat, tamen locis, quales sunt: I 6. 2, 3 *Ἀθηνᾶ δὲ Ἐγκελάδῳ φεύγοντι Σικελίαν ἐπέρριψε τὴν νῆσον*, I 9. 16, 1 *ᾧ χρωμένῳ περὶ τῆς βασιλείας ἐθέσπισεν ὁ θεός*, ib. 24, 4 *τοῖς δὲ Ἀργοναύταις τὸν Ἠριδανὸν ποταμὸν ἤδη παραπλέουσι μηνίσας Ζεὺς ... ἐμβάλλει πλάνην*, admonemur, ut ducem antiquitate venerabiliorem sequamur. Idem pertinet ad III 15. 9, 2 *πρὸς Μίνωα ἔφυγε, κἀκεῖ Πασιφάῃ ἐρασθείσῃ τοῦ Ποσειδῶνος ταύρου*
9, 20 *συνήργησε*, ubi *Πασιφάης ἐρασθείσης* in A. — ib. *ἐξ οὗ μέχρι δεῦρό φασιν ἀπὸ τῶν βληθέντων κεραυνῶν γίνεσθαι πυρὸς ἀναφυσήματα*] Haec cum Herchero Apollodoro vix abiudicabit, quicumque observavit, quantam operam mythographus variarum rerum morum consuetudinum originibus a fabulis repetendis dederit. Attamen latet difficultas in verbis *ἀπὸ τῶν βληθέντων κεραυνῶν*, quam ad explicandam non debebat Heynius excitare Homerum *B* 781 ss.:

γαῖα δ' ὑπεστενάχιζε Διὶ ὣς τερπικεραύνῳ
χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωέι γαῖαν ἱμάσσῃ
εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

---

1) conf. XIV 68 *τὸ δὲ μέγεθος τοῦ χειμῶνος ἐπὶ τὸν αἰγιαλ[...]* *αὐτοῖς τὰς ναῦς ἐξέβραττε* cum Wesselingii adnotatione.

Nam praeter regionum distantiam tota haec fabula de iteratis in Typhoeum fulminibus posteriore aetate prorsus obsoleta erat. Fortasse igitur ignei illi anhelitus orti sunt ex eis fulminibus, quibus in ipsa pugna Iuppiter eum percusserat, ut est apud Hyginum f. 92: 'qui cum flagraret, montem Aetnam, qui est in Sicilia, super eum imposuit, qui ex eo adhuc ardere dicitur.' Sed cum paulo ante ipsius Typhonis ignea natura commemoretur (*πολλὴν δὲ ἐκ τοῦ στόματος πυρὸς ἐξέβρασσε ζάλην*), mihi quidem veri similius videtur, ineptam fulminum mentionem (*ἀπὸ τῶν βληθέντων κεραυνῶν*) a lectore quodam ex antecedentibus illatam esse, Aetnae autem flammas ipsi Typhoni tribuisse Apollodorum, quem sic cum Aeschyli versione concinere videmus, Prom. 374 ss.:

τοιόνδε Τυφὼς ἐξαναζέσει χόλον
θερμοῖς ἀπλάτου βέλεσι πυρπνόου ζάλης,
καίπερ κεραυνῷ Ζηνὸς ἠνθρακωμένος.

I 7. 1, 1: *ἔδωκεν αὐτοῖς καὶ πῦρ*] Articulum desideraverunt 9, 23
Heynius et Hercherus, quod etiam Diod. IV 15, 2 *Προμηθέως παραδόντος τὸ πῦρ τοῖς ἀνθρώποις* suadere videtur, sed confer infra *Προμηθεὺς πυρὸς κλαπέντος δίκην ἔτινε* et I 5. 2 *Τριπτολέμῳ μὲν ... πυρὸν ἔδωκεν.*

I 7. 2, 5: *ἐπέτρεψεν αἱρεῖσθαι* [*αἰτεῖσθαι* A], *ὅ τι* 10, 10
βούλεται] hoc verbum restituendum esse iam Hercherus perspexerat, cum restitueret *ἑλέσθαι*, respiciens haud dubie locos simillimos I 7. 5 *Ζεὺς δὲ αὐτῷ δίδωσιν ὃ βούλεται ἑλέσθαι* et ib. 9 *ἐπέτρεψεν αὐτῇ τῇ παρθένῳ ἑλέσθαι.* Nunc praesentis temporis formam hic praeferendam esse ex epitoma discimus.

I 8. 2, 1: *τούτου δὲ ὄντος ἡμερῶν ἑπτὰ παραγενομένας τὰς* 11, 13
μοίρας φασὶν εἰπεῖν· τότε τελευτήσει Μελέαγρος E Zenob. V 33 (Apollodori codices variant): *τελευτήσειν Μελέαγρον* He.] Rarus est Apollodorus in admittenda oratione quam vocamus directa. Nec me fugit, quam saepe et scholiorum auctores et librarii codicum, antecedenti verbo dicendi seducti, levi terminationum mutatione ipsa quae quis locutus est verba ex oratione obliqua elicuerint. Tamen hic testimoniorum veterum consensui adversari temerarium esse duxi,

praesertim cum fatalis illius vaticinii ipsa verba sollemnia 11, 17 proferre augeat atque efferat rei gravitatem. — In sequentibus *ἀνὴρ ἄτρωτος καὶ γενναῖος γενόμενος*, num verba *ἄτρωτος καὶ* cum Zenobio recte eiecerit Hercherus, nescio. Nam saepius quidem legimus apud Apollodorum *ἀνὴρ γενναῖος γενόμενος*, ut I 8. 5, 2 de Tydeo, vel *γενναῖος ὢν* de Amyco I 9. 20, 1. Hic autem additamentum illud per se sensu non caret, quamquam alibi idem referri non videtur; nam, praeterquam quod Martis filius erat Meleager, consentaneum erat eum, quem interno quodam igni absumptum iri fata cecinerant, omne vulnus extrinsecus illatum respuere. Accedit, quod ea quae sequuntur *τόνδε τὸν τρόπον ἐτελεύτησε*, ad illud *ἄτρωτος* respicere videntur: hic vir, quamvis invulnerabilis et nobilis, tamen hac ratione mortem occubuit. Ceterum Apollodorum ab adiectivis prorsus diversi generis inter se coniungendis neutiquam abstinuisse cognoscimus ex II 5. 8, 1 *Βιστόνων ἔθνους Θρᾳκίου καὶ μαχιμωτάτου*.

12, 11 I 8. 3, 2: *ἀμφισβητούντων δὲ τῆς θήρας τῶν Θεστίου παίδων*] *τῆς θήρας* in editione Hercherus delevit, quondam (Philol. XIV p. 623) id ipsum, quod iam librario codicis Neapolitani in mentem venerat, *περὶ τῆς θήρας* bene restituerat. Nam cum ex alio fonte hanc fabulae versionem haustam esse appareat (*οἱ δέ φασιν*) quam antecedentem, non expulerim haec verba, quae in continua narratione supervacanea esse 12, 17 ducerem. — ib. *καὶ τῶν πολιτῶν ἀξιούντων μεθ' ἱκετηρίας βοηθεῖν* A: *καὶ τῶν πολιτῶν μεθ' ἱκετηρίας ἀξιούντων βοηθεῖν* E] hoc quamquam aptius est, tamen non receperim, quoniam et epitomator verborum ordinem innumeris fere locis mutavit, et Apollodorus elegantioris verborum collocationis satis incuriosus in quavis fere pagina detegitur. Ac pauca quidem exempla congerere haud inutile duxi, ut limatiorem nonnunquam, quam ipse voluit esse, auctorem nostrum editorum ex manibus evasisse cognoscas: I 7. 3, 2 *τὴν πέραν χώραν Πελοποννήσου*, 9. 1, 5 *τὴν μεταξὺ κειμένην θάλασσαν Σιγείου καὶ Χερρονήσου*, III 1. 1, 5 *πᾶσαν τὴν κειμένην χώραν ποταμῷ σύνεγγυς Πυράμῳ* (conf. Comm. Ribb. p. 144), I 9. 12, 2 *ταύτας ἀδυνατῶν Βίας τὰς βόας κλέψαι* (transpos. Hr.), ib. 16, 7

Τῖφυς Ἁγνίου, τὴν ναῦν ὃς ἐκυβέρνα (transpos. He.), ib. 18, 1 *μάχην τῆς νυκτὸς συνάπτουσιν ἀγνοοῦντες πρὸς ἀγνοοῦντας* (*τῆς νυκτὸς* del. Hr. Herm. VII p. 244), II 1. 1 *Νιόβης καὶ Διός, ᾗ πρώτῃ γυναικὶ Ζεὺς θνητῇ ἐμίγη* (transpos. He.), 4. 5, 5 *ἔφη τὸν ἀπὸ Περσέως γεννηθησόμενον τότε βασιλεύσειν* (transpos. Hr.), 8. 5, 5 *τὴν τοῦ φονευθέντος γυναῖκα ἄκουσαν Μερόπην ἔλαβεν* (transpos. Hr.), III 5. 1, 3 *καὶ τὸ συνεπόμενον Σατύρων πλῆθος αὐτῷ* (ubi *αὐτῷ* iure fortasse delevit Heynius).

I 9. 1, 1 *παῖδας μένον*[1]) *καὶ φρύξον* E] Ipse eclogarum 13, 32
auctor in suo Apollodori codice iustam verborum collocationem, quam nostra memoria Bekkerus reposuit, *παῖδα μὲν* pro *μὲν παῖδα* invenerat. At qui postea hanc epitomam descripserunt indocti librarii, accentum vocabuli *μέν* siglum terminationis *-ον* esse rati, suo ex ingenio vel potius calamo novum Athamantis filium *Μένον* procreaverunt. Itaque ex eorum numero hoc mendum est, quibus non librum ab ipsius epitomatoris manu scriptum, sed apographum fabularum ab illo excerptarum in codice Vaticano nobis servatum esse luculenter demonstratur. Haec igitur menda, quo facilius ab eis corruptelis queant separari, quae epitomae et codicibus communes sunt, ipso in textu corrigenda curavimus, sed cum multum ea faciant ad epitomae pretium et antiquitatem circumscribendam, memorabiliora hac occasione data repetere placet, ut appareat revera librariolorum ignorantiae, non auctoris consilio ea deberi.

I 3. 6 *ἐπὶ ποταμῶν Τρίτωνος* E: *ποταμοῦ* A
9. 23, 7 *ἐγγὺς* E: *ἐκ γῆς* A (eadem corruptela in codice Vaticano 1017 ad II 5. 2, 4)
9. 25, 2 *ἐρέταις* E: *Νηρηίσι* A
II 5. 4, 1 *Ἐλυμάνθιον* E: *Ἐρυμάνθιον* A
ib. 5 *ἐξείκυσε* E: *ἐξείλκυσε* A
ib. 6 *Μαλσείαν* E: *Μαλέαν* A (sed *μιθέην* PVLN).
5. 7, 4 *Μιθῶνα* E: *Μαραθῶνα* A
5. 12, 6 *Πειρίθουν ἀναστῆναι βουλόμενος* E: *ἀναστῆσαι*
ib. 8 *Ἀχαίροντος*, III 13. 8, 2 *αἰσθῆτι*

---

1) Suprascripto in fine circumflexo nomina propria constanter fere in epitoma significantur.

II 7. 7, 5 *εἰς Τραχῖνας* E: *εἰς Τραχῖνα* A
8. 1, 2 *Εὔρυον* E: *Εὐρύβιον* A
8. 3, 4 *Ἰξύλῳ* E: *Ὀξύλῳ* A
III 4. 3, 1 *κατευνάσαντος* E: *κατανεύσαντος* A
ib. 7 *κατοικοῦσας* E: *κατοικούσας* A
5. 5, 8 *λυθεῖσα* E: *λαθοῦσα* A

Interdum vocabula, quae nullo modo desiderari possunt, omissa sunt, e. gr. I 9. 23, 11 *δράκοντα*, II 6. 4 *πόλιν*, III 4. 3, 4 *Διόνυσον*. Item I 9. 28, 3 uno versu praetermisso duae fabulae tam stulte inter se confusae sunt, ut de ipsius excerptoris neglegentia cogitari non liceat: *τοὺς παῖδας . . . ἀπέκτεινε καὶ φεύγουσα ⟨ἦλθεν εἰς Ἀθήνας· λέγεται δὲ καί, ὅτι φεύγουσα⟩ τοὺς παῖδας ἔτι νηπίους ὄντας κατέλιπεν* (quod vitium miro casu etiam typothetae editionis principis accidit).

14, 4 I 9. 1, 2: *λαμβάνουσαι γοῦν* [*δὲ* A] *κρύφα τῶν ἀνδρῶν τοῦτο ἔπραττον*] haec verba delevit Hercherus; sed ad comprehendendum quod sequitur Athamantis consilium expressis verbis memorare opus erat, clam viris hoc factum esse a mulieribus. Ad Zenobii autem auctoritatem, qui eadem verba praeteriit, infelicissime provocat Hercherus, nam ille hic quidem ipsum Apollodori textum reddere noluit, sed ex eius pannis abbreviatam narratiunculam consuisse satis habuit.

15, 31 I 9. 21, 2: *προέλεγε* E: *προύλεγε* A] *προέλεγε* non praeferrem, nisi paulo ante (20, 1) scriptura corrupta *προσεκαλεῖτο* moneret, ut non cum Fabro *προυκαλεῖτο*, sed *προεκαλεῖτο* emendemus. Etiam III 12. 6, 1, ubi nunc legitur *προύλεγεν*, codices Itali *προέλεγεν* perhibent. Ceterum utramque formam ab Apollodoro promiscue adhibitam esse docent reliqua exempla: *προύλεγε* I 9. 11, 3, *προυκαλεῖτο* (I 9. 20, 1) II 5. 11, 3, *προύθηκε* II 5. 9, 11, *προύτεινε* III 5. 8, 3 (*προύχοντα* III 15. 6, 2 in oraculi versu): *προετίθεσαν* II 4. 7, 1, *προεκαλέσατο* II 7. 7, 4. Tituli Attici, ut antiquiore aetate crasin, sic a tertio usque ad primum saeculum formas solutas constanter praebent (conf. Meisterhans, Gramm. d. att. Inschr.[2] p. 138).

16, 28 I 9. 22, 2: *δι᾽ αὐτῶν διελθεῖν* pro *ἐλθεῖν* et 24, 5 *διὰ τοῦ Σαρδονίου πελάγους διακομισθέντες* pro *κομισθέντες*, quin ex epitoma in textum inferenda sint, vix dubitabis col-

latis I 6. 3, 8 *διεκόμισεν αὐτὸν διὰ τῆς θαλάσσης εἰς Κιλι-*
κίαν et I 9. 25, 2 *διὰ τούτων διεκόμισε τὴν ναῦν.* — ib. 3 *καὶ* 16, 29
ταύτην (sc. *τὴν πελειάδα*) *ἐὰν μὲν ἴδωσι σωθεῖσαν διαπλεῖν*
καταφρονοῦντας, ἐὰν δὲ ἀπολλυμένην [*ἀπολομένην* edd.],
μὴ πλεῖν βιάζεσθαι. Participium praesentis non modo in epi-
toma, verum etiam ubique in libris exstare testes sunt praeter
P Dorv. Par.[123] etiam LN et editio princeps (*ἀπολυμένην* typo-
thetae neglegentia). Quod non debebant violare editores, cum
verbi *σωθεῖσαν* similitudine adducti *ἀπολομένην* scriberent.
Nam omnia recte sese habent. Eo enim temporis puncto, quo
rupium collisione opprimebatur (i. e. *ἀπολλυμένην*), columbam
illam oculorum acie acriter intenta fortasse cernere poterant,
oppressam autem (*ἀπολομένην*) i. e. in mare delapsam, ne
Argi quidem oculis si instructi fuissent, in immenso fluctuum
spumantium aestu potuissent videre (*ἐὰν ἴδωσι!*) — ib. 4 17, 2
ἀπέθριξεν barbara est forma in similitudinem vocis *θρίξ*
corrupta, quam hic illic adhibuerunt scriptores sequioris aevi
(conf. Sophocles, Greek lexicon of the Roman and Byzantine
periods p. 217), sed quaestionem movet, nonne Apollodorus ex
Apollonii Argonauticis cum narratione etiam poeticam formam
ἀπέθρισεν (Arg. II 601 *παρέθρισαν*) pro tradito *ἀπεθέρισεν*
transtulerit.

I 9. 24, 1: *κατὰ τοῦ βυθοῦ* E: *κατὰ βυθοῦ* A] Articuli 18, 18
usus praeter epitomae et Zenobii consensum etiam aliis Apol-
lodori exemplis firmatur: *εἰς τὸν βυθόν* I 9. 1, 5, III 15. 4, 1,
ἐκ τῶν βυθῶν III 1. 3, 2 quorum ad similitudinem haud scio
an etiam III 4. 3, 5 *ἥλατο κατὰ βυθῶν* mutandum sit.

I 9. 27, 2: *νήπιον ἀπολιποῦσα παῖδα Πρόμαχον ἑαυτὴν* 19, 28
ἀνήρτησε· Πελίας δὲ καὶ τὸν αὐτῇ καταλειφθέντα παῖδα
ἀπέκτεινε E] Haec si iure Apollodoro reddenda curamus pro
τὸν καταλειφθέντα παῖδα αὐτῆς (nam in tota hac narrationis
parte epitomator auctoris vestigia accuratissime sequitur), de-
fenditur verbi *καταλειφθέντα* auctoritas ab Hercheri sagaci-
tate, idemque etiam caderet in locum simillimum III 6. 4, 1
Ὑψιπύλη νήπιον παῖδα ὄντα Ὀφέλτην ἀπολιποῦσα. . . . δει-
κνυούσης δὲ τὴν κρήνην ὁ παῖς ἀπολειφθεὶς ὑπὸ δράκον-
τος διαφθείρεται.

20, 19 I 9. 28, 2: μεμαγμένον φαρμάκοις] μεμαγμένον, quod iam Aegius praetulerat codicum scripturae μεμαγευμένον, apte convenit cum Diodori verbis IV 54, 6 δῶρα φαρμάκοις κεχρισμένα. Huius enim narratio de Medeae ultione aliqua ex parte proxime abest ab Apollodoro, conf. καὶ θεοὺς μαρτυρομένης τοὺς ἐπόπτας γινομένους τῶν ὅρκων et αὐτὴν δὲ συμφορᾷ περιπεσεῖν καὶ τὸν πατέρα βοηθοῦντα. Quod codices praebent φάρμακον, non ex φαρμάκῳ nunc in editionibus vulgato, sed ex φαρμάκοις ortum esse, epitomatori et Diodoro quivis facile credet, qui quanto opere poetae catalogis apparatus magici con-
20, 21 serendis helluati sint, meminerit. — Pro corrupto καταφλέγει nunc legimus κατεφλέχθη; unde apparet non praesentem formam καταφλέγεται cum Fabro, sed, quod per se exspectaveris inter ἔπεμψε et ἀπέκτεινε, aoristum reponendum esse, sive hanc ipsam formam[1]) usurpavit Apollodorus, sive scripsit κατεφλέγη, quod corruptelae καταφλέγει facilius ansam praebebat.

21, 12 II 1. 3, 2: φωραθεὶς δὲ ὑφ' Ἥρας τῆς μὲν κόρης ἁψάμενος εἰς βοῦν μετεμόρφωσε λευκήν, ἀπωμόσατο δὲ ταύτην μὴ συνελθεῖν E: αὐτὴν δὲ ἀπωμόσατο A] Verborum collocatione in eclogis servata coniecturae Emperii (αὐτὸς δὲ) et Hercheri (ἀρχὴν δὲ) tolluntur, ut sola restet ea emendandi via, quam Faber inierat, cum coniceret αὐτῇ. Epitoma praeterea suadere videtur, ut pronomen demonstrativum Apollodoro reddamus, quod hunc efficeret sensum: Juppiter multis cum mulieribus se concubuisse confessus huius quidem coitum eo certius denegavit.

21, 19 II 1. 3, 4: ἠδύνατο E A Schol. Hom. B 103] In augmento uniformitatem severioris Atticismi Hercherus infeliciter imposuit Apollodoro, quem ubique ἐδύνατο scripsisse censet. Nam codicum aliorumque testium auctoritate huius formae auctoritas nunc minuitur magis quam augetur. Ut enim nostro loco de ἠδύνατο omnium consensu constet, sic II 5. 2, 3 idem contra librorum praeter Vaticanum 1017 testimonium e Zenobio eclogisque refingemus, nec non II 4. 3, 1 et III 5. 7, 4, ubi ἐδύναντο

1) conf. e. gr. Thuc. IV 133 καταφλεχθέντα.

et *ἐδύνατο* adhuc tradita esse ferebantur, codices Itali a me collati alteri formae favent; confer praeterea, *ἠδύνατο* III 2. 1, 4 *ἠδύναντο* III 16. 2, 2: *ἐδύνατο* II 4. 7, 4, II 5. 2, 3 (*ἠδύναντο* Vat.). Itaque si quis nunc constantiam usus revocandam sibi proposuerit, non *ἐδύνατο* sed *ἠδύνατο* praeferet, quam formam posterioris aevi scriptores minime respuisse constat (conf. Krueger, Gr. § 28. 7, 1). Quo autem ex tempore hoc augmenti incrementum irrepere cœperit, ex incorrupto inscriptionum Atticarum testimonio, ut fieri solet, addiscimus, quae inde a tertio a. Chr. n. saeculo formas ab *η* incipientes praebent (Meisterhans, Gramm. d. att. Inschr.[2] p. 134). — Etiam in augmento verborum quales sunt *εὔχεσθαι* codices variant; nam praeter formas augmento instructas *ηὔξατο* III 1. 3, 2; 14. 4, 2, *ηὔξαντο* III 7. 4, *ἐξηυτέλισαν* II 2. 2, 2 (*ευ* Laur.), *συνηυνάζετο* III 14. 8, 2 (*ευ* Vat.), 15. 1, 4 (*ευ* Laur.) non desiderantur quae augmento careant: *συνεύναζε* II 4. 10, 1, *συνευνάσθη* II 4. 8, 1, III 14. 4, 2, *συνευνῆσθαι* III 4. 3, 3, *εὑρέθησαν* E XXI 26. Eandem inconstantiam et hic et in verbi *δύνασθαι* augmento observamus in libris Novi Testamenti (conf. Winer, Gramm. d. neutest. Sprachgebr.[7] p. 68 s.), quorum usum hisce in minutiis orthographicis propter codicum vetustatem haud spernendum esse duco. Herchero igitur, qui formas per *ηυ* scriptas ubique in textum revocavit, ne hic quidem adsentiemur, praesertim cum hae quoque formae teste Meisterhansio (p. 136) inde a tertio saeculo ex titulis Atticis evanuerint.

II 1. 3, 5: *ἡ δὲ πρῶτον ἧκεν εἰς τὸν ἀπ᾽ ἐκείνης Ἰόνιον* 21, 21
κόλπον κληθέντα, ἔπειτα διὰ τῆς Ἰλλυρίδος . . .] Hoc si quo loco dilucide apparet, quam iniuste Bekkeri et Hercheri (Philol. VI p. 572) particulam *μὲν* invitis auctoribus saepius inculcaverint, nam ne sequitur quidem, quod ansam praebuisset tali coniecturae, *ἔπειτα δὲ*. Sic etiam II 8. 1, 3 ubi omnino non exstant, quae inter se opponantur, suadente epitomatore *μὲν* post *τὴν* delere non dubitavi: *Εὐρυσθέα . . . κτείνει διώξας Ὕλλος καὶ τὴν κεφαλὴν ἀποτεμὼν Ἀλκμήνῃ δίδωσιν· ἡ δὲ κερκίσι τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐξώρυξεν αὐτοῦ.* Ceterum conferas quae diligentissime, ut adsolet, Hultschius (Polyb. I[2] p. LXVss., repetita et aucta ex Fleckeiseni ann. 1867 p. 305 ss.) de particula *μὲν*

saepius ab Herodoto et Polybio omissa disputavit. Et quo facilius perspicias, quam bene viri doctissimi observationes etiam ad Apollodori sermonem quadrent, haec quaeso perlustres exempla: I 7. 7, 1 *Πλευρὼν . . . παῖδα ἐγέννησεν, Ἀγήνορα, θυγατέρας δὲ* . . . (corr. Hr.), ib. 10, 2 *Πορθάονος . . . ἐγένοντο παῖδες Οἰνεὺς* . . ., *θυγάτηρ δὲ Στερόπη* (corr. Hr.), III 5. 8, 7 *καὶ παῖδας ἐτέκνωσεν ἐξ αὐτῆς Πολυνείκη καὶ Ἐτεοκλέα, θυγατέρας δὲ* . . . (corr. Hr.), 12. 5, 8 s. *ἐκ δὲ ἄλλων γυναικῶν Πριάμῳ παῖδες γίνονται* . . ., *θυγατέρες δὲ* . . . (corr. Hr.), 15. 1, 2[1]) *ἔσχε παῖδας Κέκροπα* . . ., *θυγατέρας δὲ* . . . (corr. Hr.); I 8. 2, 5 *Μελέαγρος ἔχων γυναῖκα Κλεοπάτραν* . . ., *βουλόμενος δὲ καὶ ἐξ Ἀταλάντης τεκνοποιήσασθαι*, 9. 19, 1 *ὁ Θειοδάμαντος παῖς, Ἡρακλέους δὲ ἐρώμενος* (corr. Hr.), II 5. 1, 3 *τὴν ἑτέραν ἐνῳκοδόμησεν εἴσοδον, διὰ δὲ τῆς ἑτέρας ἐπεισῆλθε τῷ θηρίῳ*) corr. He.), 5. 10, 2 *τριῶν ἔχων ἀνδρῶν συμφυὲς σῶμα, συνηγμένον εἰς ἓν κατὰ τὴν γαστέρα, ἐσχισμένον δὲ* (He., *τε* A) *εἰς τρεῖς ἀπὸ* . . . (corr. Br.), III 1. 4, 3 *οὗτος εἶχε ταύρου πρόσωπον, τὰ δὲ λοιπὰ ἀνδρός.*

22, 27 II 4. 1, 1: *Ἀκρισίῳ δὲ περὶ παίδων γενέσεως ἀρρένων χρηστηριαζομένῳ ὁ θεὸς ἔφη γενέσθαι παῖδα*] Vetus est controversia philologorum, num post verba dicendi iurandi pollicendi similia infinitivi aoristi ad res futuras spectantes, qui in plerisque sermonis pedestris scriptoribus hic illic regularem futuri temporis usum interrumpunt, tolerari possint, ut ipsa tantum actio, 'ab omni temporis definiti condicione libera et immunis' (verba sunt Stallbaumii) significetur (confer quae disputaverunt Lobeck, Phryn. p. 749 ss., Winer, l. l. p. 310, Hultsch, Quaest. Polyb. I p. 23 s. ac nuper W. Roeder, Ueber Cobets Emendationen der Attischen Redner p. 42—56). Equidem non meum esse duxi in hanc criticorum arenam descendere, in qua nisi exemplis undique sedulo congestis accurateque perpensis vix quidquam proficerem, sed unum in universum monere non omiserim. Cum enim posteriori graecitati hunc usum nemo abiudicaturus sit, singulorum exemplorum et aetas et

1) ib. *Πανδίονος δὲ ἀποθανόντος οἱ παῖδες τὰ πατρῷα ἐμερίσαντο, καὶ τὴν ⟨μὲν⟩ βασιλείαν Ἐρεχθεὺς λαμβάνει, τὴν δὲ ἱερωσύνην . . . Βούτης* non dubito, quin Bekkerus *μὲν* recte addiderit.

multitudo praecipue in rationem vocanda videtur. Itaque quae in vetustioris cuiusdam scriptoris multis voluminibus rara occurrunt vestigia, nisi forte peculiarem explicationem singuli loci admittunt, librariorum incuriae facile tribuimus; si autem frequentiora observantur apud recentiorem auctorem, propensiores erimus statuere, huius aetate istam licentiam iam in vulgarem linguae Graecae consuetudinem irrepsisse. Quod si tenemus, satis eminentem locum in hac lite discernenda Apollodoro nostro vix denegabimus, quippe qui in angusto ambitu exigui libelli tot exempla praebeat, quot quantum scio nusquam alibi servata sunt. Ex quibus id, quod huius adnotationis causa exstitit, propterea maxime memorabile est, quod eius auctoritatem ex consensu codicum et epitomae cum Zenobio I 41 et Schol. Hom. Ξ 319 ab antiquioribus temporibus repetere licet. Reliqua haec sunt: II 5. 11, 6 *Θράσιος . . . μάντις τὴν ἐπιστήμην ἔφη τὴν ἀφορίαν παύσασθαι* (EA: *παύσεσθαι* edd.), *ἐὰν* . . ., III 1. 3, 1 *ἔφη, ὅ τι ἂν εὔξηται, γενέσθαι* (*γενήσεσθαι* Hr.), III 12. 5, 3 *οὗτος εἰπὼν τῆς πατρίδος γενέσθαι* (A: *γενήσεσθαι* Faber) *τὸν παῖδα ἀπώλειαν*, ib. 6, 3 *ἡ δὲ μνησικακοῦσα θεραπεῦσαι* (A: *θεραπεύσειν* Hr.) *οὐκ ἔφη*, III 15. 8, 2 *ἦν χρησμὸς τελευτῆσαι* E: *τελευτᾷ* A, E IX 2 *χρησμὸν ἔχοντος τελευτῆσαι*, E XXIII 13 *λαμβάνει χρησμὸν .. ἀπαλλαγῆναι*; I 9. 21, 8 *δούσας ὅρκον τὸν Φινέα μηκέτι ἀδικῆσαι* (A: *ἀδικήσειν* Hr.), III 6. 2, 4 *ὤμοσε . . . . συγχωρῆσαι*, III 8. 2, 3 *ὤμοσεν αὐτοῦ μεῖναι* (*μενεῖν* Hr.) *παρθένος*, quod aliter expressit epitomator: *ὀμωμοκέναι τηρῆσαι τὴν παρθενίαν*. Contra I 9. 1, 3 *ὡς εἴη κεχρησμένον παύσασθαι τὴν ἀφορίαν, ἐὰν* . . . epitoma nunc praebet quem Hercherus Philol. XIV p. 623 restituerat infinitivum futuri. — Multo rariora sunt exempla infinitivi praesentis pro futuro adhibiti, qui pendet ex verbo *ὑπισχνεῖσθαι*. Nam II 4. 5, 5 *ἔφη τὸν ἀπὸ Περσέως γεννηθησόμενον τότε βασιλεύειν*, excerpta concinunt Heynii coniecturae *βασιλεύσειν*, atque etiam II 2. 2, 4 et 6 *ὑπισχνεῖται θεραπεύειν* et *ὑπέσχετο θεραπεύειν* (*θεραπεύσειν* Neap.) non nimis confido infinitivo praesentis, quippe qui in eisdem paragraphis praeterea compluries legatur. Sic sola haec restant certa vestigia I 9.

23, 1 *τὴν ναῦν Ἀγκαῖος ὑπισχνεῖται κυβερνᾶν* et II 8. 6, 7 *ὑποσχόμενος στρατεύειν.*

23, 20 II 4. 8, 1: *τὴν μίαν νύκτα ⟨πενταπλασιάσας ἢ κατά τινας⟩ τριπλασιάσας ⟨οἳ καὶ διὰ τοῦτο τριέσπερον ἀξιοῦσι λέγεσθαι τὸν Ἡρακλέα⟩*] Totius excerpti hic solus est locus, quo epitomator alio ex fonte aliquid addidisse videtur, quam versionem cum tamquam propriam atque genuinam praemisisset, vulgatam tamquam minus memorabilem adiecit. Atque unde *τὸν τριέσπερον* excitaverit dubium non est conferenti Lycophronis v. 33 *τριεσπέρου λέοντος*; quinque autem noctium mentionem alibi nusquam inveni. Panniculus est adsutus a nescio quo mythographo, qui cum res per se satis miras etiam exaggerare studeret, ne trium quidem noctium spatium ad summum heroem procreandum suffecisse censebat. Ceterum cum neque in Apollodori codicibus ullum huius rei vestigium remanserit, neque in epitoma alia eiusmodi additamenta reperiantur, equidem ea non tam ex archetypi margine ab ipso epitomatore, quam eclogis quondam adscripta in textum a librario recepta esse statuere malim.

23, 31 II 4. 5, 5: *διὰ ζῆλον* E: *τὸν* add. A] Cum hic aliorum testimoniorum consensu, cui confisi saepius textum bibliothecae mutare ausi sumus, destituamur, testem non minus certum afferre liceat ipsius auctoris usum, qui ut articulum tollamus suadeat: *διὰ κάλλος* I 9. 19, 1, III 12. 2, 3; 14. 4, 3, *διὰ φθόνον* III 5. 7, 3, *δι' ἔρωτα* e. gr. III 12. 4; adde exempla substantivi cum genetivo coniuncti: *διὰ μῆνιν Ἥρας* I 9. 2, 1; 16, 4, *διὰ μῆνιν Ἀφροδίτης* III 14. 4, 2, *κατὰ μῆνιν Ἀφροδίτης* I 3. 3, 1, III 14. 4, 2, *κατὰ μῆνιν Ἀπόλλωνος* II 5. 9, 9, *κατὰ ζῆλον Ἥρας* II 4. 12, 1.

25, 11 II 4. 12, 1: *Ἰφικλέους* E: *Ἰφίκλου* A] Duplicem eiusdem nominis formam saepius circumferri nuper multis exemplis congestis exposuit Maassius Herm. XXIII p. 613 ss. Quorum ex numero Iphiclem Apollodoreum[1]), quem nescio quo casu Maas-

1) Restat enim nominum diversitas apud Diodorum, qui Herculis fratrem plerumque *Ἴφικλον* (IV 33, 6. 34, 1. 49, 3), sed IV 33, 2 *Ἰφικλέα* vocat. *Ἰφικλῆς* Paus. VIII 14, 9, Plut. Quaest. Rom. 90, de frat. am. 21, Thes. 29.

sius praetermisit, tollendum esse nunc discimus. Nam nomini Ἰφικλῆς ceterum constanter adhibito (I 8. 2, 4, II 4. 8 ter), in Apollodori codicibus tres loci repugnant, quorum unus hic est, reliqui inveniuntur II 4. 11, 6 Ἰφίκλῳ et II 7. 3, 6 Ἴφικλος. Iam cum duobus ex his locis epitoma iustam formam in -κλῆς exeuntem nobis suppeditet, vix ulla relinquitur dubitatio, quin etiam II 4. 11, 6 Ἰφικλεῖ pro Ἰφίκλῳ epitomator in archetypo legerit. Talis autem corruptela inde facile oriri poterat, quod ab eodem Apollodoro passim commemorantur qui revera Iphicli erant, Thestii et Phylaci filii, e. gr. I 8. 3, 2 (Ἰφίκλου AE) in ipsa narratione venationis Calydoniae, cuius Iphiclem quoque participem fuisse constat.

II 5. 1, 3: τὴν ἑτέραν ἀνῳκοδόμησεν εἴσοδον A] Ut ad 25, 25
antecedentia verba, quae ad Nemeaei leonis specum pertinebant, illustranda atque emendanda Diodori narrationem IV 11, 3 ss. protulimus Comm. Ribb. p. 138 s., sic eundem testem hic excitare licet, ut pro corrupta voce ἀνῳκοδόμησεν non cum Dukero editoribusque ἀπῳκοδόμησεν, sed ex epitoma ἐνῳκοδόμησεν refingendam esse demonstremus. Habes enim prorsus geminam huius verbi notionem Diod. III 37, 4 de draconis latebris τῆς ἐνῳκοδομημένης φάραγγος, cuius ostium scilicet antea λίθοις εὐμεγέθεσι καὶ γῇ συνῳκοδόμησαν, et XI 45 ἐνοικοδομῆσαι τὴν εἴσοδον; quibus exemplis fisus etiam XI 21 τὰς πύλας, ἃς ἀνῳκοδόμησαν Wesselingius eandem qua Apollodori libri laborant corruptelam bene emendavit.

II 5. 1, 5: καὶ πίθον ἑαυτῷ χαλκοῦν εἰς κρυβὴν [εἰσκρυ- 26, 2
βῆναι A] ὑπὸ γῆν κατεσκεύασε] Habes coniecturam epitomatoris ortam ex omissa infinitivi terminatione, quae fortasse ut in Vaticano suprascripta erat. Ceterum hunc locum iam librariis difficultates parasse apparet ex addito in Palatino corruptelae signo (.˙.); in Neapolitano est εἰσκρυ . . . ., in Dorvilliano et Vesontino εἰσκρῦαι. Sed ut sit corrupta haec vox, quod non credo (conf. Krueger, Gr. § 55. 3, 20), tamen nullo modo, ut statuit Hercherus, omnino neglegi poterat, quo consilio Eurystheus miram hanc machinam exstruxisset; conf. Diod. IV 12, 2 ἔκρυψεν ἑαυτὸν εἰς χαλκοῦν πίθον.

II 5. 2, 6: Εὐρυσθεὺς δὲ ἔφη μὴ δεῖν καταριθμῆσαι ⟨τοῦ- 26, 27

τον⟩ ἐν τοῖς δώδεκα [*δέκα* Hr.] *τὸν ἆθλον*] *τοῦτον* ut recipiamus auctor est Pediasimus (p. 351, 1 W.)· *οὐ μέντοι ⟨ἐν⟩ τοῖς δώδεκα τὸν ἀγῶνα τοῦτον Εὐρυσθεὺς ἔταξεν.* Atque etiam iustam verborum collocationem in excerptis servatam esse docent verba, quae his omni ex parte respondent II 5. 5, 7 *Εὐρυσθεὺς δὲ οὐδὲ τοῦτον ἐν τοῖς δώδεκα* [*δέκα* Hr.] *προσεδέξατο ⟨τὸν⟩ ἆθλον,* ubi *τὸν* ex eclogis adstipulante Pediasimo addidimus. Eadem ratione II 5. 9, 11 *ἐὰν προθῇ Λαομέδων Ἡσιόνην τὴν θυγατέρα αὐτοῦ βορὰν κήτει*[1]), si mecum ex epitoma reposueris *τῷ κήτει βοράν,* absoluta efficietur convenientia cum loco simillimo II 4. 3, 3 *ἐὰν ἡ Κασσιεπείας θυγάτηρ Ἀνδρομέδα προτεθῇ τῷ κήτει βορά.* Sic novis exemplis illustratur, quanto opere Apollodorus in eisdem formulis repetendis perseveraverit.

28, 11 II 5. 4, 8: *διώξας αὐτὸν ἔκ τινος λόχμης μετὰ κραυγῆς εἰς χιόνα πολλήν, παρειμένον εἰσωθήσας* [*ἐμβροχίσας τε* A] *ἐκόμισεν εἰς Μυκήνας*] Diu multumque mecum reputavi, num addito verbo *εἰσωθήσας* Apollodori textum augere liceat. Ne hoc faciamus, monet Tzetzes Chil. II 276 s., qui iam eadem verba legisse videatur, quae hodie in codicibus servata sunt (Pediasimus verba aliter inter se coniunxit: *διώξας δὲ τοῦτον ἔκ τινος λόχμης μετὰ κραυγῆς, χιόνι παρειμένον, ἐμβροχίσας*). Contra quomodo hac voce *εἰσωθήσας* librorum scripturam *ἐμβροχίσας* circumscribi voluerit epitomator, non expedio. Deinde ipsius textus condicio lacunam indicare videtur. Nam iure mirareris, si casu accidisset, quod apud Apollodorum particula *τε* post *ἐμβροχίσας* inserta aliquid excidisse testaretur, in epitoma autem ultro offerretur novum verbum, quod non modo ad sensum optime quadrat, verum etiam antecedens participium *διώξας,* unde nunc omnia ab *αὐτὸν* usque ad *πολλὴν* pendent, commode sublevat. Quod si concedis, tamen propter particulam *τὲ,* quam non nisi cum *καὶ* coniunctam adhibuit Apollodorus, non sufficit *εἰσωθήσας* simpliciter textui inserere, sed refingendum esset: *εἰς χιόνα πολλὴν ⟨εἰσωθήσας⟩ τε ⟨καὶ⟩ ἐμβροχίσας.* Quod denique ad aoristum *εἰσωθήσας*

---

1) *τῷ* Bekkerus tacite ut adsolet inseruit.

pro Attico εἰσώσας attinet, non satis adhuc constat, quo usque tales formae ex vulgi sermonibus ortae apud posterioris aevi scriptores admittendae sint; confer exempla a Veitchio (Greek verbs p. 715) ex Cassio Dione, Aeliano, Charitone congesta.

II 5. 7, 3: ἐπὶ τοῦτον παραγενόμενος εἰς Κρήτην Ἡρακλῆς, 29, 22
ἐπειδὴ ⟨συλ⟩λαβεῖν ἀξιοῦντι Μίνως εἶπεν αὐτῷ λαμβάνειν διαγωνισαμένῳ, λαβὼν καὶ [καὶ λαβὼν A] πρὸς Εὐρυσθέα διακομίσας ἔδειξε] συλλαβεῖν bona est atque obvia emendatio vulgatae λαβεῖν. Nimirum Hercules, ubi primum ad Cretam appulit, Minoem ut se adiuvaret rogavit. Hic autem, similiter atque postea Pluto in Tartarum profecto (II 5. 12, 8), ei libenter concessit, ut si perdomare potuisset bestiam secum ageret. Idem ni fallor breviter significavit Diodorus IV 13, 4 καὶ Μίνω τὸν βασιλέα σύνεργον λαβὼν ἤγαγεν αὐτὸν (sc. τὸν ταῦρον) εἰς Πελοπόννησον; quem locum respiciens Heynius infra ⟨συλ-⟩ λαμβάνειν scribendum esse minus recte suspicatus erat, nam illud λαμβάνειν tuetur Pediasimus (p. 351 W.) Μίνως δὲ λαμβάνειν ἠξίου τὸν διαγωνισόμενον. — In sequentibus nemo dubitabit, quin λαβὼν καὶ . . . διακομίσας artiore vinculo inter se coniuncta sint, quam quae interiecto enuntiato dirempta sunt παραγενόμενος . . . καὶ λαβών. Ceterum tam saepe concinnior enuntiatorum et verborum conexus excerptorum ope nunc restituitur Apollodoro (conf. e. gr. adn. III 14. 7), ut etiam paulo infra 8, 2 πλεύσας οὖν μετὰ τῶν ἑκουσίως συνεπομένων ⟨καὶ⟩ βιασάμενος . . . ἤγαγεν haud spernendum esse censeam. — ib. 4: ὁ δὲ πλανηθεὶς ⟨εἰς⟩ Σπάρτην τε καὶ 29, 25
Ἀρκαδίαν ἅπασαν καὶ διαβὰς τὸν Ἰσθμὸν male argutus Heynius adsentiente Herchero verba Σπάρτην — ἅπασαν (εἰς enim desideratur in codicibus) damnavit. Nam ne cum viro doctissimo hic haereas, quasi via a Mycenis Isthmum versus teste Apollodoro per Argolidem duxerit, monet verbum πλανηθείς, quod ipsum postulat, ut, quas in regiones a recta via aberraverit taurus, memoretur.

II 5. 9, 3: ἐν μιᾷ νηὶ πλεῖ [ἔπλει A] καὶ προσίσχει νήσῳ 30, 17
Πάρῳ] Quod Heynius quondam proposuerat, προσίσχε, iure refutavit Hercherus Philol. IV p. 569. Nunc aliter temporum concinnitatem restitui videmus, et geminam quidem eis quae in

eiusdem laboris enarratione sequuntur *ἀποπλεῖ καὶ προσίσχει*
30, 18 *Τροίᾳ*. — ib. 7 *καταπλεύσαντος δὲ εἰς τὸν ἐν Θεμισκύρᾳ λιμένα, παραγενομένης εἰς* [*ὡς* A] *αὐτὸν Ἱππολύτης*] Haec emendatio praepositionis in libris corruptae sensui non minus, quam litterarum ductui satisfacit. Nam non debebat Hercherus, qui *πρὸς αὐτὸν* rescripsit, Pediasimum testem adhibere; ab illo enim, qui nullam omnino portus mentionem inseruit, ipsum Herculem significari necesse erat, hic autem portum subintellegendum esse videmus. Neque aliter Tzetzen hoc loco legisse apparet ex Schol. in Lyc. v. 1327.

31, 16 II 5. 10, 1: *βόας* E: *βοῦς* A] In hoc accusativo non tam quaeritur, num solutam formam *βόας* pro *βοῦς* expellendam, quam nonne ubique reponendam esse censeamus. Nam constanti fere usui formae solutae (I 6. 1, 4; 9. 12, 1 ss., II 4. 6, 1 ss.; 4. 9, 5; 4. 11, 3; 5. 10, 2 ss.; 6. 2, 1, III 10. 2, 1 ss.; 10. 4, 2) duo tantum loci adversantur. Quorum cum in altero II 5. 10, 1 nunc consensio cum sequentibus exemplis firmetur, non dubito solum, quod nunc relinquitur formae contractae vestigium I 9. 25, 3, vel contra epitomae auctoritatem delere.

33, 25 II 6. 1, 2: *Ἰφίτου τοῦ πρεσβυτέρου τῶν παίδων*] Saepius apud Apollodorum comparativum *πρεσβύτερος* sic invenimus adhibitum, ut non duorum filiorum vel filiarum natu maiorem, sed plurium vel maximum significet. Quod si ad unum duosve locos pertineret, cum Herchero, qui ubique (nisi quod III 8. 1, 5 praetermisit) superlativum praetulit, statueremus terminationes *-τέρος* et *-τάτος* ex more recentiorum librariorum suprascriptas inter se confusas esse, ut II 5. 11, 5 codices falso *ἰσχυρότατον* perhibent pro *ἰσχυρότερον*, quod Parisinus quartus paulo reliquis vetustior servavit. Sed obstat frequentia exemplorum, ex quibus unum praeterea scripturae antiquitate eminet. Nam II 7. 7, 11 Hyllus quattuor Herculis et Deianirae filiorum *πρεσβύτερος* vocatur non modo in codicibus excerptisque, sed etiam in argumento Sophoclis Trachiniarum et Zenobio. Accedunt II 1. 5, 2 *Ὑπερμνήστραν τὴν πρεσβυτέραν* (ex Danaidibus), III 5. 6, 4 *Χλωρὶς ἡ πρεσβυτέρα* (quae iam I 9. 9, 1 commemorata tamen in catalogo Niobae filiarum neglecta est; conf. Heynii Obs. in Ap. p. 61 et 239 s.), III 8.

1, 5 τοῦ πρεσβυτέρου ἀδελφοῦ Μαινάλου (ex quinquaginta Lycaonis filiis). Nolui igitur turbare huius usus vetustiora exempla, praecipue cum ne notione quidem comparativi scriptorem impediri arbitror, quominus filium primigenum non tam singulis fratribus, quam toti reliquae progeniei, quae natu minor sit, opponat.

II 6. 3, 2: Συλέα . . . τοὺς παριόντας ξένους σκάπτειν 34, 16
ἀναγκάζοντα, σὺν ταῖς ῥίζαις τὰς ἀμπέλους καύσας . . . ἀπέκτεινε.] Codicum scripturam σκάψας ex antecedenti verbo corruptam bene emendasse videbatur Meinekius in σπάσας, concinente Tzetze Chil. II 435 καὶ προθελύμνους ἀνασπᾷ καὶ τούτου τὰς ἀμπέλους (conf. ib. V 46 et Prolegg. in Aristoph. Schol. p. XIX D.). Nunc genuinam lectionem, quae medelam aeque accommodatam huic loco admovet, ab ipso Apollodoro repetere licet. — Quale Sylei filiae nomen fuerit, dubium esse vix potest, quamvis in scriptura Ξενοδόκη Vaticanus et Laurentianus cum epitoma concinant. Nam Xenodicae complures reperiuntur Apollod. III 1. 2, 5 (Minois filia), Paus. X 26, 1, Ξενοδόκη quantum video nulla, quamquam Ξενόδοκος hic illic occurrit; nam Paus. II 7, 3, unde Ξενοδόκη a Papio in Lex. nom. propr. citata erat, nunc legitur Ξενοδίκη.

II 7. 7, 7: μέλλων δὲ ἱερουργεῖν εἰς Τραχῖνα τὸν κήρυκα 37, 5
[κήυκα A] ἔπεμψε] Lichae nomen aegre desiderari propter ea quae sequuntur τὸν μὲν Λίχαν τῶν ποδῶν ἀράμενος κατηκόντισεν iam perspexit Wesselingius. Cur autem hoc nomine inserto τὸν κήρυκα, quod etiam sine articulo in argumento Trachiniarum exstat, respuerit, non video; conf. Diod. IV 38, 1 Λίχαν τὸν ὑπηρέτην, Tzetz. Chil. II 473, ipsumque Sophoclem Trach. 189 Λίχας ὁ κῆρυξ. Reponas igitur ⟨Λίχαν⟩ τὸν κήρυκα.

II 8. 2, 1: ἐνιαυτοῦ δὲ αὐτοῖς ἐν τῇ καθόδῳ γενομένου 38, 9
[γενομένης A] Hunc locum ita vexavit Hercherus, ut nullum fere vocabulum non mutaverit: ἐνιαυσίου δὲ αὐτοῖς τῆς καθόδου γενομένης. Aliam emendandi viam iniit Heynius ἐπὶ ἐνιαυτοῦ δὲ αὐτοῖς ἐν τῇ καθόδῳ γενομένῃ (sc. φθορά). Nunc vide quam facile unius vocis commutatione bonus sensus restituatur, nisi reponere mavis διαγενομένου; conf. ib. 3, 4 ἐνιαυτοῦ διελ-

46, 18 III 9. 2, 2: μέχρις οὗ] ‘μέχρις καὶ ἄχρις σὺν τῷ σ̄ ἀδόκιμα· μέχρι δὲ καὶ ἄχρι λέγε.’ Huic praecepto Phrynichi (conf. adnotationes Lobeckii p. 64 s. et Rutherfordii p. 64 s.), cui etiam tituli Attici adsentiuntur (Meisterhans, Gramm. d. Att. Inschr.^{2} p. 101), obsequentes editores formas per ς scriptas in scriptoribus Atticis ubique expunxerunt, quos secutus Hercherus eandem regulam Apollodoro adhibuit. Attamen qua aetate hae formae ab Attico usu alienae in graecitatem intraverint, constare mihi videtur eorum scriptorum testimonio, qui hiatum diligenter evitaverunt. Quid enim veri est similius, quam hac de causa μέχρις et ἄχρις ex vulgi sermonibus in litterarum usum translatas esse? Iam cum Polybius coniunctionem μέχρις οὗ usurpare non dubitaverit (nisi forte Dindorfi probas temeritatem οὗ ubique delentis), vix miraberis, quod post illum alii quoque scriptores, qui ut Apollodorus hiatum minime curant, has formas receperunt. Nolim igitur mutare quae apud Apollodorum leguntur I 4. 1, 2 μέχρις εἰς, 7. 1, 3 μέχρις Ἡρακλῆς, 9. 21, 7 μέχρις Ἐχινάδων. Ex posterioribus historicis exempla attulit Krebsius, Die Praepositionsadverbien in der spaeteren Graecitaet II p. 7 ss.

46, 21 III 9. 2, 3: Λύκος] Rhoecum, non Lycum[1]), alterum fuisse Centaurum, qui impetus in Atalanten facti poenas morte subitaria solvebant, scimus ex Callimachi Hymn. in Dian. v. 221 cum scholiis et Aeliani Var. Hist. XIII 1. 30. Λύκος autem veterem huius loci corruptelam esse praeter epitomam docet librorum condicio. Nam quod editiones praebent Ῥοῖκος, solo in Palatino, et quidem margini adscriptum, inveni. Reliqui habent Λύκος, quod in Λυκοῦργος corruptum est in Vaticano et Laurentiano. Etiam apud Callimachum in tribus libris deterioribus Λύκον vel Λῦκον (ortum ex falsa scriptura Ῥῦκον) a prima manu exaratum est.

46, 25 III 9. 2, 5: γαμεῖν] Notae differentiae inter verbi γαμεῖν activum et medium scriptores posterioris aevi non semper se adstrinxisse videntur. Sic nostro loco Atalanten πατὴρ γαμεῖν

1) Lycum Centaurum a Pirithoo necatum memorat Ovidius Met. XII 332.

ἔπειϑε (ubi solus Palatinus γαμεῖσϑαι offert), sic III 12. 6, 4 Asopus Μετώπην γημάμενος filios procreat.

III 13. 6, 1 in epitoma nunc quidem, ut in Apollodori 49, 1
libris, exstat Θέτιδος; sed littera τ a prima manu reposita est in rasura paulo amplioris spatii, ut non dubium sit, quin librarius genuinam scripturam Θέμιδος recte ex archetypo acceptam suo Marte in Θέτιδος mutaverit.

III 13. 6, 1 propter similitudinem narrationis de Cerere Me- 49, 14
tanirae filium flammis imbuente (I 5. 1, 4) Hercherus et articulum ex verbis εἰς τὸ πῦρ ἐγκρύβουσα eiecit et pro tradito ἐβόησε maluit ἀνεβόησε. Sed quam notionem verbo composito exprimi voluit clamoris subito editi, eam iam simplicis verbi aoristo satis diserte significari moneo.

III 13. 8, 1: Λυκομήδει παρέϑετο] Varia temptaverunt 49, 26
editores ad explendam lacunam, quam in codicibus post παρέϑετο hiare nemo non sentit; proxime autem a vero abesse Hercheri supplementum παρέϑετο ⟨Λυκομήδει βασιλεῖ Σκυρίων⟩ nunc videmus; nam etiam quae in excerptis desiderantur verba βασιλεῖ Σκυρίων, propter sequentia κἀκεῖ τρεφόμενος apte addita esse videntur.

III 14. 7, 1: Διόνυσον δὲ Ἰκάριος (sc. ὑπεδέξατο) καὶ λαμ- 50, 32
βάνει παρ' αὐτοῦ κλῆμα ἀμπέλου. καὶ τὰ περὶ τὴν οἰνοποιίαν μανϑάνων καὶ τὰς τοῦ ϑεοῦ δωρήσασϑαι ϑέλων χάριτας ἀνϑρώποις ἀφικνεῖται ... A] In hoc enuntiato et rerum et sententiarum coniunctionem haud mediocriter claudicare facile perspicis. Attamen elegantiorem conexum, quem ex epitomae scriptura ὃς et μανϑάνει, mutata interpunctione, restitueris, non reciperem, nisi aliud accederet vitium nemini adhuc notatum. Nam ut adquiescamus in traditis verbis, regula temporum consecutionis in participiis eligendis satis severa non tam μανϑάνων requireret, sed μαϑών. Itaque ut utramque difficultatem tollamus, confidenter reponimus: ... Διόνυσον δὲ Ἰκάριος, ὃς λαμβάνει παρ' αὐτοῦ κλῆμα ἀμπέλου καὶ τὰ περὶ οἰνοποιίαν μανϑάνει. καὶ τὰς τοῦ ϑεοῦ ...

III 15. 6, 2: ἀσκοῦ τὸν προύχοντα ποδάονα φέρτατε 53, 1
λαῶν] Suo iure Heynius quondam suspicatus erat ποδάονα ab

Aegio illatum esse ex Tzetz. in Lyc. v. 494, quoniam in Apollodori codicibus idem legitur, quod et Plutarchus Thes. 2 et Schol. Eur. Med. v. 679 praebent, *πόδα μέγα*. Nunc illum, nescium quid faceret, genuinam oraculi formam adsecutum esse cognoscimus ex epitoma. Nam cum substantivum *ποδεών* eodem sensu usurpetur, quo nostro loco, ut et utris laciniam significet[1]) et obscoenam notionem interdum accepisse videatur[2]), eius formam epicam *ποδάονα*, quamquam alibi non tradita est, versui heroico inserere nullus dubito. Quae si in codicibus legebatur, fieri non potuit, quin a grammaticis suprascriberetur *πόδα,* etiamsi non accederet versuum Euripideorum similitudo, quibus poeta tragicus oraculum hexametris compositum trimetri usui adaptavit:

Med. 679 *ἀσκοῦ με τὸν προύχοντα μὴ λῦσαι*[3]) *πόδα*
681 *πρὶν ἂν πατρῴαν αὖθις ἑστίαν μόλω.*

Hac autem voce in textum recepta versus graviter afflictus medelam exigebat, in qua reperienda frustra desudaverunt librarii Tzetzae codicum Vittebergensis secundi et tertii *ὃν* et *ᾧ* inserentes. Melius erat, quod adhuc vulgata oraculi scriptura remansit, *μέγα φέρτατε λαῶν.*

53, 25 III 16. 2, 2: *τούτῳ τῷ τρόπῳ* EA] Hercherus (Philol. IV p. 571) restituit *τοῦτον τὸν τρόπον*, quam formulam haud dubie Apollodorus plerumque praetulit. Hic autem dativum non suo Marte posuit, sed ex fonte suo descripsit, ut apparet ex Plut. Thes. 8, 3: *ἐν δ' Ἰσθμῷ Σίννιν τὸν πιτυοκάμπτην, ᾧ τρόπῳ πολλοὺς ἀνῄρει, τούτῳ διέφθειρεν αὐτός*, et Paus. II 1, 4: *τοιούτῳ διεφθάρη τρόπῳ καὶ αὐτὸς ὑπὸ Θησέως ὁ Σίνις.* — Pausaniae auctoritate etiam particula *καὶ* in excerptis addita firmatur, quam iam pridem ex Emperii coniectura recipere debebant editores, quoniam sic demum rectus efficitur enuntiati sensus: eodem modo, quo Sinis alios trucidaverat, et ipsum Theseus interfecit.

1) Pollux VII 196 *ποδεὼν ἀσκοῦ.*
2) Schol. Eur. Med. 679.
3) Sic alteri versui scholiasta *λῦσαι* pro *λύσῃς* ex Euripide immiscuit.

I 1 et 4. In *Thesei* laborum enarratione quae observantur lacunae, non tam Apollodoro quam epitomatori tribuendae sunt, qui integrum bibliothecae textum exscribere noluit. Sic non dubito, quin Apollodorus terram a sue Crommyonia vastatam esse suo more[1]) addiderit, conf. Diod. IV 59, 4: *τρίτον δὲ τὴν ἐν Κρομμυῶνι ὑπάρχουσαν σῦν ἀγρίαν, διαφέρουσαν ἀλκῇ τε καὶ μεγέθει καὶ πολλοὺς ἀνθρώπους ἀναιροῦσαν ἀπέκτεινεν.* — Item, qui cuiusque monstri originem diligenter adnotavit, solius Damastis (cuius tertium nomen Procrustis praeterea desideramus) parentes addere vix oblitus est, quorum nomina adhuc nobis ignota sunt. Nam etiam suis Crommyoniae genealogiam, quae ut multa similia monstra ab Echidna et Typhone erat oriunda, nunc primum ex Apollodoro comperimus. 54

II 1 ss. *Daedalus.* Quae ratio intercedat inter epitomae et Zenobii relationem iam indicavi Mus. Rhen. XLI p. 141 ss. Quaedam menda Zenobii apte nunc emendantur, ut *ἐλθὼν εἰς Κώκαλον, τὸν λίνον, ᾔσθετο εἶναι, ὑποσχόμενος δώσειν.* Contra in formis verbi *διείρειν,* quas recte reposuit Valckenarius, epitomator textum quodammodo interpolavit, cum ex depravatis formis, quales in paroemiographi libris servatae sunt, aequabilitatem formarum a verbo *διείργειν* derivatarum minus apte restitueret. Ac felicissime accidit, quod capitis finem in epitoma miserrime corruptum, accito praeterea schol. Hom. *B* 145 (Cur. myth. § 5, 2), probabiliter supplere contigit. 56

III 3: *ἐμπλακεὶς δὲ Ἱππόλυτος συρόμενος ἀπέθανε*] 57, 17
Post verbum *ἐμπλακεὶς* excidisse *ταῖς ἡνίαις* evincitur loco gemino de Oenomao c. IX 6: *καὶ ταῖς ἡνίαις συμπλακέντα συρόμενον ἀποθανεῖν.* De Hippolyto confer etiam Eurip. Hipp. 1236:

αὐτὸς δ᾽ ὁ τλήμων ἡνίαισιν ἐμπλακεὶς
δεσμὸν δυσεξήνυστον ἕλκεται δεθείς,

---

1) conf. de apro Calydonio I 8. 2, 2, de Chimaera II 3. 1, 3, de leone Cithaeronio II 4. 9, 5, de Hydra II 5. 2, 1, de apro Erymanthio ib. 4, 1, de tauro Marathonio ib. 7, 4.

et Diod. IV 62, 3: *τὸ δὲ μειράκιον ἐμπλακὲν τοῖς ἱμᾶσιν ἑλκυσθῆναι καὶ τελευτῆσαι.*

62, 23 XV. *Οἰνοτρόφοι* ab Apollodoro vocatae esse videntur, quae ceterum *Οἰνοτρόποι* audiunt (nisi quod in Tzetzae libris littera *φ* suprascripta est), ut quae terram in vinum convertant. Sed ne altera quidem significatio inepta est, cum *οἶνον ἐκ γῆς ποιεῖν* i. e. *τρέφειν* dicantur (conf. Ch. G. Muelleri adn. ad Tzetz. p. 682).

71 XXII 4. Nauplius. Haud scio an maritorum nomina *Κλυταιμνήστραν ⟨τὴν τοῦ Ἀγαμέμνονος⟩, Αἰγιάλειαν ⟨τὴν Διομήδους⟩* ex Tzetze, qui ea non ex schol. Marc. derivavit, recipiamus, quod deinceps Medae Idomenei uxoris mentionem Apollodorus subiunxit. Quamquam Aegialeam, Diomedis uxorem, non minus quam Clytaemnestram in bibliotheca iam supra commemoravit (I 8. 6, 3), Medam non item. — Huius filia erat *Κλεισιθήρα*, non *Κλεισιθύρα*, ut apparet ex Tzetz. Chil. III 294 et in Lycophr. 384, qui ipse v. 1222 hoc nomen affert. — Cavendum autem est, ne Tzetzae confisi post verba *Μήδαν ὑπὸ Λεύκου* suppleamus *καὶ τῶν λοιπῶν ὁμοίως*, neve infra *ἀνῆψε φρυκτὸν ⟨περὶ τὰ κοῖλα τῆς Εὐβοίας⟩*; haec enim ex scholio Marciano admixta sunt.

73 XXIII 2 s. Demophon. De Acamante, quem Tzetzes fratris loco induxit, v. Cur. myth. § 28, 1. Ex reliquis scripturae discrepantiis memorabile est illud *φάσματι κρατηθείς*, quod multo significantius, quam *φόβῳ κατασχεθείς* eum sensum, quem hic requirimus, praebere videtur. Attamen epitomae scripturam praefero, quoniam hoc participium *κατασχεθεὶς* cum aliqua affectus vel morbi notione coniunctum formula est proprie Apollodorea, conf. e. gr. I 4. 1, 5 *πόθῳ κατασχεθείς*, II 6. 2, 3 *κατασχεθεὶς δεινῇ νόσῳ*, II 7. 7, 10 *τοιαύτῃ συμφορᾷ κατασχεθείς*, E XXIII 12 *μανίᾳ κατασχεθείς*. — Ceterum Tzetzae debemus emendationem corruptelae in voce *ἐννεάδων* pro *Ἐννέα ὁδῶν* offendentis, nec non recipiemus *τοῦ ⟨ἐκεῖ⟩ βασιλέως* et *⟨τῆς⟩ μητρὸς Ῥέας*; quae autem praeterea inveniuntur supplementa: *πολλὰ δεηθεὶς ⟨παρὰ Φυλλίδος καὶ τῶν ἐκείνης⟩* et *ἵππου σφαλέντος ⟨ἐκ τῶν ὀπισθίων μερῶν⟩*, Tzetzae loquacitati malo tribuere, quam Apollodori accurationi.

XXIII 6. Amphilochus. Adnotatiunculam de Amphilochi Mopsique sepultura Tzetzes ad v. 980 haud dubie ex Lycophr. 439ss. adnexuit, nam in commentario ad v. 440 eam silentio praeteriit. 74

XXX 12ss. Orestes. Multo difficilius est de locupletioribus Tzetzae additamentis in Orestis historia certum iudicium facere. Nam lacunosam esse excerptorum relationem satis elucet ex omissis Dianae, Iphigeniae, Orestis filiorum nominibus, quae aegre desideramus[1]). Item neque Apollodorus Orestem paribus sententiis (*ἴσων γενομένων τῶν ψήφων*) absolutum esse praetermiserit, neque Tzetzes, ut a pastoribus Orestem et Pyladem captos esse adderet, Euripidis fabulam evolverit. Atque etiam, quam fabularum varietatem de adversariis Orestem in Areopago accusantibus Tzetzes collegit, ex earum adnotationum numero est, quas epitomator noster plerumque consulto eiecit. Itaque propensi erimus ad eandem originem reliquis quoque supplementis vindicandam, etiamsi Demophontis errores supra ex alio fonte citati minus congruant cum eiusdem regno Atheniensi. Confer de tempore huius litis Marm. Par. 25: *ἀφ᾽ οὗ Ὀρέστη[ς πρ]ο[σ]αιτῶν αὐτὸ[ς δίκην ὑπέσχεν Α]ἰγίσθου θυγατρὶ [Ἠριγ]όν[η ὑπὲρ Αἰ]γίσθου, καὶ αὐ[τοῖς ἡ δίκη ἐδικ]άσθη ἐν Ἀρεί[ῳ] πάγῳ, ἣν Ὀρέστης ἐνίκησεν [ἰσωθεισῶν τ]ῶν [ψήφων] . . . βασιλεύοντος Ἀθηνῶν Δημοφῶντος.* Mensem autem, quo quid factum sit, Apollodorus ceterum addere non solet. Quae praeterea de Orestis redeuntis fatis legimus, rara quidem est versio[2]), sed non magis recondita, quam multa, quae nostis suis inserere Apollodorus non supersedit. Exspectaveris autem in tam accurata enarratione etiam cultum Dianae Brauroniae post Orestis reditum consecratum non defuisse. Cuius rei vestigia agnosco in Tzetzae verbis: *ὕστερον δὲ ἦλθεν εἰς Ἀθήνας* — *ὅταν δ᾽ Ἀθήνας τὰς θεοδμήτους μόλῃς* Eurip. v. 1449 — ubi quaedam intercidisse nemo non videt, quae ab exitu fabulae Euripideae vix diversa fuerunt. 76

1) conf. Cur. myth. § 29.

2) De Amani montis nomine eadem rettulit Steph. Byz. s. v. *Ἄμανον*.

76 XXXIII 15. Menelaus. Cur. myth. § 29 exposui enuntiato ab ultima epitomae voce *καὶ* incipiente haud dubie Menelai receptionem inter immortales enarratam esse. Cum igitur in servato interiore margine sequentis folii excisi priorem partem litterae *μ* vidisse mihi videar, non improbabile est *μετὰ θάνατον* supplendum esse.

CURAE MYTHOGRAPHAE

DE

APOLLODORI BIBLIOTHECAE FONTIBUS.

§ 1.

PRAEMONENDA.

Non tam audacis consilii periculum hic subire in animo mihi est, ut cunctam quae est de Apollodori fontibus quaestionem retractandam et quacumque ratione absolvendam mihi proponam; sed non potui hanc epitomam Vaticanam publici iuris facere, nisi additis his commentationibus, in quibus pro virili parte eruere studui, num quae vestigia veterum poetarum ac scriptorum, qui fabulas in posteriore bibliothecae parte ab Apollodoro tractatas quondam excoluerunt, adhuc deprehendi queant in misella excerptorum epitoma. Nam ipse Apollodorus, si omnino ignobili mythographo hoc nomen concedis, quod non sine magna probabilitate negavit Dielsius (Mus. Rhen. XXXI p. 8), in omnia tempora de sublimi Alexandrinae auctoritatis sede, quam multa per saecula obtinuerat, a Roberto[1]) deiectus est. Itaque haud ita magnum litterarum studiis inde accresceret lucrum, quod deperditam partem serioris huius compendii ex bibliothecae Vaticanae scriniis in lucem protraximus, nisi ex hac tenui atque simplici fabularum enarratione mira quaedam lux affulgeret fontibus poeticis, quos quamvis ipse Apollodorus non evolverit, tamen ab aliis exscriptos diligenter adhibuit. Quantae autem difficultates cognitioni veritatis hic saepe obstent, vel inde perspicis, quod praeter unum locum eumque corruptum epitomator nomina auctorum haud dubie saepius ab Apollodoro citata repetere nusquam operae pretium fecit. Qua de causa coniecturis magis minusve probabilibus omnia nituntur, quae adsecuti sumus, ac multis locis non longius progredi ausi sumus, quam ut in fontium genere descri-

1) De Apollodori bibliotheca. 1873.

bendo acquiesceremus, cum certi auctoris nomen subscribere sine magnis scrupulis non liceret. Attamen ipsi mirati sumus, quam saepe quaestionem ad liquidum perducere atque notitiam in primis carminum cycli epici, interdum etiam tragicorum atque Alexandrinorum haud mediocriter augere contigerit.

In Apollodori fontes nuper sagacissime inquisivit Ericus Bethe[1]), qui comparatis inter se Diodori Apollodori Pausaniae Hygini versionibus coniecturam primis lineis iam ab aliis[2]) adumbratam stabilivit certisque finibus circumscripsit: nimirum exstitisse fabularis historiae compendium Diodori aetate paulo antiquius, ex quo illi scriptores magnam partem doctrinae suae hauserint. Hanc observationem viri docti, quae valde mihi arridet, eo complere mihi liceat, ut quattuor auctoribus ab eo perlustratis quintum addam eum, qui tabularum Iliacarum subscriptiones composuit. Huius enim verba duobus locis non ad res Troianas pertinentibus tam arte cum Apollodori textu cohaerent, ut de communi fonte non possis non cogitare. Nam in tabula Veronensi (CIG III 6126 B = tab. D Jahnii, Griechische Bilderchroniken p. 75 s.) non modo genealogiae Thebanae prorsus congruunt cum Apollod. III 4, sed etiam ultima verba:

tab. D: *Ζεὺς Σεμέλη(ι) πλησιάσ(ας) καὶ κεραυνώσας αὐτήν, ἀνελόμενος τὸν Διόνυσον καὶ ἐνράψας εἰς τὸν μηρὸν ὕστερον δίδωσι Ἰνῶ(ι) τρέφειν* tab. K. ... *[Δ]ιόνυσον ἐνράπτει εἰς τὸν μηρόν· ὕστε[ρο]ν διὰ Ἑρμοῦ δίδωσιν Ἰν[οῖ] τρέ[φειν].*	Ap. III 4, 3: *τὸ βρέφος ἐξαμβλωθὲν ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάσας ἐνέρραψε τῷ μηρῷ ... κατὰ δὲ τὸν χρόνον τὸν καθήκοντα Διόνυσον γεννᾷ Ζεὺς ... καὶ δίδωσιν Ἑρμῇ· ὁ δὲ κομίζει πρὸς Ἰνὼ καὶ Ἀθάμαντα καὶ πείθει τρέφειν ὡς κόρην.*

Nec non in tabula Borgiana (CIG 6129 = K[2] Jahnii), quae de Minerva et Vulcano referuntur, cum Ap. III 14. 6, 3 concinunt

tab. K.: *[Ἀθηνᾶς δὲ φευγούσης τὸν] Ἥφαιστον καὶ μὴ προσδ[εξα]μένης τὸ λέχος τῆς γονῆς ἐπὶ τὴν γῆν πεσούσης γεννᾶται ὁ Ἐρικθόνιος.*	Ap.: *φευγούσης δὲ αὐτῆς καὶ*[3]) *τῆς γονῆς εἰς γῆν πεσούσης Ἐριχθόνιος γίνεται.*

1) Quaestiones Diodoreae mythographae (1887) et in Genethl. Gotting.

2) conf. Robert. l. l.

3) Hoc consensu etiam refutatur Wellmanni (de Istro Callimacheo

Atque cum in hoc compendio fabularum varietatem non sine auctorum nominibus congestam esse statuendum sit, etiam alia difficultas tollitur in eo posita, quod scholiis quae ex Apollodoro hausta esse videbantur, haud raro fontium notitia addita est, quam in Apollodoro frustra requiris, ut in eadem de Minerva et Vulcano narratiuncula Schol. Hom. *B* 547 repetita: *ἱστορεῖ Καλλίμαχος ἐν Ἑκάλῃ*, ac saepius.

Ceterum disceptatio a nobis instituta hoc compendio interposito non solvitur, sed prolatatur. Nam etiamsi Apollodorus hoc enchiridium exscripserit, rursus oritur quaestio, quosnam fontes vetustiores ignotus ille mythographus secutus sit. Accedit, quod in ea parte commentationis nostrae, quae summa est, in rebus scilicet Troicis, Diodoreae narrationis auxilio destituimur, atque omnino verisimile esse videbimus Apollodorum, ut in Argonauticis ipsum Apollonium Rhodium adiit, sic etiam in belli Troiani memoria, praeter variarum relationum congeriem a mythographis collectarum, epitomam quidem ipsorum carminum epicorum diligenter adhibuisse, quo firmius atque commodius fundamentum narrationis suae reperire profecto non poterat.

Cap. I.

THESEIS.

§ 2.

ATTHIS.

Cum in mediis Thesei laboribus incipiant Apollodori fragmenta solo ab epitomatore servata, pauca in universum de Apollodori Atthide praefanda sunt. Ac primum quidem, cum per totam fere bibliothecam Pherecydis tot frustula dispersa inveniantur, ut magnam eius partem ab illius genealogiis repetitam esse appareat, huius ducis vestigia etiam in rebus Atticis Apollodorum pressisse facile conieceris. Sed haec spes egregie

p. 48) coniectura, qui pro *καὶ* proposuit *ἐκ*; sententiam loci exposui Comm. Ribb. p. 149 s.

fallit; nam ut mittamus, quanto opere singularum fabularum reliquiae (fr. 77 et 105) ab Apollodori versionibus discedant, certo constat decem regum Atticorum seriem, cui totam historiam mythographus noster superstruxit, illius aetate nondum inventam esse. Neque alium quemquam ex Atthidographorum numero adeo cum Apollodoro congruere videmus, ut eum prae ceteris exscriptum esse evincere contigerit (conf. Heynii Observ. in Ap. p. 318 ss.).

Circumspicienti autem, quacum historia fabulari nostrae memoriae servata aptissime conferamus hanc bibliothecae partem, quasi per se offertur Marmor Parium.[1]) Huius enim fabulae Atticae fere omni ex parte conveniunt cum Apollodoro, non modo in decem regum stemmate *ἀπὸ Κέκροπος τοῦ πρώτου βασιλεύσαντος Ἀθηνῶν* (conf. Ap. III 14. 1, 1 *Κέκροψ αὐτόχθων ... τῆς Ἀττικῆς ἐβασίλευσε πρῶτος*), sed etiam in singulis multis. Sic statim de terrae nomine eadem fere proferuntur M. P. I 3 *καὶ ἡ χώρα Κεκροπία ἐκλήθη τὸ πρότερον καλουμένη Ἀκτικὴ ἀπὸ Ἀκταίου τοῦ αὐτόχθονος*: Ap. ib. *καὶ τὴν γῆν πρότερον λεγομένην Ἀκτὴν ἀφ' ἑαυτοῦ Κεκροπίαν ὠνόμασε*, quibus adde Actaei Cecropis soceri mentionem 14. 2, 1. Deinde iudicium de Marte et Neptuno in Areopago Cranao regnante commissum esse legimus in chronico; idem Apollodorus nullo regis nomine addito statim eo loco inseruit, quo Cecropis progeniem enumerat. Sed cum Alcippe, Martis filia, quam vitiaverat Halirrhothius, Cecropis neptis fuerit, multo mihi videtur veri similius Cranao, Cecropis filio, quam ipso avo etiamtum regnante hoc factum esse.[2]) De Amphictyonis tertii regis origine duas versiones attulit Apollodorus, quarum prior, iam in Deucalionis historia I 7. 2, 6 memorata, redit in lapide non sine diluvii Deucalionei mentione. Panathenaica ab Erichthonio instituta esse (M. P. I 17 = Ap. 14. 6, 6) reliqui quoque testes affirmant; contra Cereris adventus

---

1) Doppii dissertationem 'quaestiones de marmore Pario', quam memorat Wellmannus, inspicere non potui.

2) Aliter sentit Kirchhoffius Herm. VIII p. 190: wenn, wie doch wahrscheinlich, Hellanikos den ersten Handel auf dem Areopag unter Kekrops setzte.

in marmore temporibus Erechthei, ab Apollodoro Pandionis, Erichthonii filii, adscribitur (de alia discrepantia, quae ad Theseum spectat, mox videbimus). Plurimum autem tribuo relationibus de bello Minois contra Athenienses, quarum similitudo ad ipsa verba eorumque structuram pertineat:

M. P. I 33 s.: *ἀφ' οὗ Ἀθήνησι [σπάνι]ς τῶν καρπῶν ἐγένετο καὶ μαντευομένο[ι]ς τοῖς Ἀθην[αίοις Ἀπόλ]λων ἔ[χρ]η[σε δίκα]ς ὑποσχε[ῖν], ἅ[ς] ἂμ Μίνως ἀξιώσῃ.*

Ap. 15. 8, 3: *γενομένου δὲ τῇ πόλει λιμοῦ τε καὶ λοιμοῦ ... ἐχρῶντο περὶ ἀπαλλαγῆς· ὁ δὲ θεὸς ἀνεῖλεν αὐτοῖς Μίνωι διδόναι δίκας, ἃς ἂν αὐτὸς αἱρῆται.*

Multum fortasse lucraremur ex hoc conexu, dummodo certo constaret, quonam ex fonte chronici Parii auctor fabularum Atticarum notitiam sibi adsumpserit. Hoc autem adhuc incertum relinquitur, quamquam Wellmannus l. l. p. 59 ss. nuper evincere studuit ex Atthidographorum numero solum Andronem restare, quem imitari ille potuerit, eundemque etiam novi regum stemmatis, quod ante Kirchhoffii subtilissimam ratiocinationem (Herm. VIII p. 185 ss.) Hellanico tribui solebat, inventorem fuisse.

Sed etiamsi hanc Wellmanni coniecturam probaremus, tamen inde non sequeretur, ut Andronem etiam ab Apollodoro expressum esse statueremus. Nam fabularum Atticarum memoria, qualis exstat in bibliotheca, diligenter examinata facile intellegis Apollodorum non unum ex Atthidum scriptoribus ducem sibi elegisse, sed hic quoque fabularum congeriem ex variis scriptoribus recentiore aetate compositam praetulisse, unde fabularum formam ipsius temporibus pervulgatam commodissime exprimeret. Hanc autem Istri *Ἀτθίδων συναγωγήν* fuisse Maximilianus Wellmann in dissertatione de Istro Callimacheo demonstrasse sibi videtur. Sed quo magis admiror viri docti sagacitatem, eo vehementius doleo, quod argumenta ad hanc sententiam stabiliendam prolata meo quidem iudicio non satisfaciunt. Concedo memorabilem consensionem in narratione de Procridis cane et vulpe Teumessia (l. l. p. 68 s. et 105), sed reliqua quae in bibliotheca reperiuntur Istri frustula non apta sunt, quibus Apollodorum ipsum Istri volumina in manibus habuisse nobis persuadeatur. Et quae nova sub-

sidia fontibus bibliothecae indagandis ex epitoma accrescunt, Wellmanni coniecturae non favent: immo vero alium potius scriptorem Alexandrinum ab eis quasi digito monstrari mox videbimus. Sed quidquid de nomine auctoris statuimus, quoniam de fontibus secundariis ab Apollodoro adhibitis inter omnes convenit, vix mirabimur, quod etiam in Theseide diversorum Atthidographorum aliorumque scriptorum vestigia artissime inter se coniuncta animadvertemus.

§ 3.

SEX LABORES THESEI. TAURUS MARATHONIUS.

(cap. I 1—6.)

1. Quo ordine hi labores sese exceperint, pendet ex singulorum adversariorum patriis, quae deinceps Theseo Troezene profecto, ut Athenas perveniret, erant peragrandae. Itaque non mirum est, quod cum facinorum serie ab Apollodoro recepta congruunt Diodorus IV 59 et Plutarchus Thes. 8 ss., quibus tertius accedit Hyginus f. XXXVIII. Nam quod hic aprum in finem relegavit, insequente tauro Marathonio, tertium autem locum Procrusti, quem reliqui ultimum fuisse testantur, concessit, haud dubie ob eandem causam fecit, qua commotus Ovidius Met. VII 433 ss. in eo carmine, quo Athenienses praeclara Thesei facinora celebrantes inducit, praemisso tauro statim aprum addidit, nimirum ut eorum monstrorum mentionem, quae ab hominis natura aliena erant, coniungeret[1]).

Quamquam singula quaedam testimonia indicant non ab omnibus hos sex labores (quos qui constituerunt, fortasse dimidiam partem Herculis laborum explere volebant) primo adolescentuli itineri adscriptos esse. Sic de Scirone haec adnotat Plutarchus 10, 5: *Ἀλλὰ Θησέα φασίν, οὐχ ὅτε τὸ πρῶτον ἐβάδιζεν εἰς Ἀθήνας, ἀλλ' ὕστερον Ἐλευσῖνά τε λαβεῖν Μεγαρέων ἐχόντων . . . καὶ Σκείρωνα ἀποκτεῖναι.* Cum hac versione conferas, quod in marmore Pario I 35 s. Theseus non prius, quam

1) De librariorum Hygini errore cogitavit Bethius l. l. p. 62 adn.

duodecim vicos Atticos in unam urbem collegit, ἀπογε[νόμεν]ος Ἀθηνῶν τὸν τῶν Ἰσθμίων ἀγῶνα ἔθηκε Σίνιν ἀποκτείνας[1]). Contra alii cum Scironis morte Isthmiorum inaugurationem coniunxerunt (Plut. 25, 10). Iam cum sciamus novam illam de Scironis natura opinionem — qui enim ad latronis caedem expiandam ludi sollemnes institui poterant? — ab antiquissima Megarensium[2]) fabulositate procreatam esse, probabile fit etiam Corinthi olim exstitisse, qui a Sinide, ipsius Corinthi nepote, immanis crudelitatis dedecus propellere studerent. Haec postea cum vulgari Atheniensium relatione sic consociata sunt, ut Theseus aut quod Scironem affinem sibi esse sero cognovisset[3]), aut in sempiternam memoriam victoriae a Sinide reportatae (Schol. Pind.) Isthmia inaugurasse traderetur.

De vetustissimis totius cycli fontibus ex scriptorum fragmentis nihil concludere licet. Nam ex antiquiorum Atthidographorum frustulis (Pherec. fr. 107, Hellan. fr. 68) vix quidquam elicere continget. Et quoniam carminum epicorum praeter Theseidum titulum nihil fere superest, ne coniecturae quidem ansam relictam esse dolemus, nedum certi quid statui possit. Sed quo obstinatius libri tacent, eo disertius metoparum imagines, quae in Thesei templo Atheniensi usque ad hunc diem adspiciuntur[4]), nec non vasorum fictilium picturae testantur, iam quinto saeculo Thesei labores eodem fere si non ordine, tamen modo ac ratione, quo apud Apollodorum leguntur, Athenis enarrari solitos esse. Quod cum fusius exponere longum sit, pauca exempla proponere satis habeo. Sic Apollodori

---

1) conf. Schol. Pind. arg. ad Isthm., Plut. Thes. 25, 11.

2) Plut. 10, 2 οἱ δὲ Μεγαρόθεν συγγραφεῖς ὁμόσε τῇ φήμῃ βαδίζοντες καὶ τῷ πολλῷ χρόνῳ κατὰ Σιμωνίδην πολεμοῦντες, οὔτε λῃστὴν οὔτε ὑβριστὴν γεγονέναι τὸν Σκείρωνά φασιν, ἀλλὰ λῃστῶν μὲν κολαστήν, ἀγαθῶν δὲ καὶ δικαίων οἰκεῖον ἀνδρῶν καὶ φίλον.

3) Plut. 25, 10. Wellmannus totam hanc de Isthmiis institutis fabulam ex Hellanico et Androne, quos in fine affert Plutarchus, narratam esse putat; equidem adhuc animo pendeo, nonne ea tantum, quae de Atheniensium in Isthmiis proedria exscripsit Muellerus (Hell. fr. 76), ab illis repetita sint.

4) Mon. d. I. X 44, ex quibus nonnullae repetitae sunt apud Baumeisterum, Denkmaeler d. klass. Alterth. III p. 1779 ss.

verba de Thesei cum Cercyone luctatione *μετέωρον ἀράμενος ἤρραξεν εἰς γῆν,* quasi hodierno more illustrantur illius templi metopa, ubi hostem utroque bracchio sublatum Theseus sic tenet, ut insequenti temporis puncto terrae eum illisurus sit, nec non notissima Duridis patera[1]), in qua adversarium sic amplexus est, ut ille uno tantum pede quasi haereat in solo. Item quae de Scirone legimus *ἁρπάσας αὐτὸν τῶν ποδῶν ἔρριψεν ⟨εἰς τὴν θάλατταν⟩* (sc. *βορὰν ὑπερμεγέθει χελώνῃ*), optime quadrant et ad templi sculpturam et ad Duridis picturam, cum in aliis vasis Scironem adspiciamus solito more Theseo imperitantem, ut pedes sibi lavet. Discrepantiae perraro animadvertuntur, velut in Scironis metopa, non in pictura modo laudata[2]), testudinis etiam a Diodoro et Pausania I 44, 8 memoratae locum cancer obtinet. Ex hoc memorabili consensu iure concludere mihi videor, unum ex vetustioribus rerum Atticarum scriptoribus hic ab Apollodori fonte adhibitum esse.

Sed ut ad testimonia nostrae memoriae servata redeat quaestio, non omnia inter Apollodorum Diodorum Hyginum congruere videntur. Sic apud Hyginum Sinis viatoribus imponebat, ut unam pinum secum in terram flecterent, apud Diodorum IV 59, 3 (et Pausaniam II 1. 4), qui accuratius latronis machinationes describit, duabus arboribus inflexis utrique alterum hominis bracchium alligabat, quibus subito dimissis efficiebat, ut miserorum corpora violentissime distraherentur. Eandem autem doli rationem etiam in breviore Apollodori narratione, in qua vincula illa non memorantur, subintellegendam esse elucet ex ultimis verbis: *τούτῳ τῷ τρόπῳ καὶ Θησεὺς τὸν Σίνιν ἀπέκτεινεν.* Quo enim modo opprimere potuit eum, qui et ipse ad arbores sustinendas satis robustus erat, nisi superatum longoque certamine defatigatum compedibus ad pinus illas devinxit? Nec non Diodori verba de Procruste (quod nomen

1) Gerhard A. V. III tab. 234 = Baumeister III p. 1789.

2) Sic a Callimacho, quem *Σκ[ε]ίρωνος τοῦ τὴν χελώνην τρέφοντος*, haud dubie in Hecale, mentionem fecisse adnotat Schol. Eur. Hipp. 979 (= Callim. fr. 378 S.), ad tempora multo antiquiora adscendere licet.

3) Idem redit in scholio Luc. Iupp. trag. § 21, quod docte cum Paus. I 39 contulit Wellmannus p. 77 ss.

fortasse solus epitomator, non ipse Apollodorus praeteriit) *τοὺς παριόντας ὁδοιπόρους ἠνάγκαζε ἐπί τινος κλίνης ἀναπίπτειν*, de duobus lectis Apollodori Hygini Plutarchi (c. 11) accipienda esse ipsa res monet. — Quo minores istae sunt differentiae, eo magis praevalet cunctae narrationis similitudo, quae interdum usque ad ipsa verba pertinet, e. gr. de Scirone[1]) et de Procruste:

Apollodorus ep. I 2.	Diodorus IV 59, 4.	Hyginus fab. XXXVIII.
οὗτος ἐν τῇ Μεγαρικῇ κατέχων τὰς ἀφ' ἑαυτοῦ κληθείσας πέτρας Σκειρωνίδας ἠνάγκαζε τοὺς παριόντας νίζειν αὐτοῦ τοὺς πόδας, καὶ νίζοντας εἰς τὸν βυθὸν αὐτοὺς ἔρριπτε βορὰν ὑπερμεγέθει χελώνῃ.	*ἐκόλασε δὲ καὶ Σκείρωνα τὸν οἰκοῦντα τῆς Μεγαρίδος τὰς ὀνομαζομένας ἀπ' ἐκείνου Σκειρωνίδας πέτρας. οὗτος γὰρ εἰώθει τοὺς παριόντας ἀναγκάζειν ἀπονίπτειν ἑαυτὸν ἐπί τινος ἀποκρήμνου τόπου, λακτίσματι δ' ἄφνω τύπτων περιεκύλιε κατα τῶν κρημνῶν εἰς θάλατταν κατὰ τὴν ὀνομαζομένην Χελώνην.*	Scironem. Qui ad mare loco quodam praerupto sedebat, et qui iter gradiebatur, cogebat eum sibi pedes lavare et ita in mare praecipitabat.
4. *οὗτος τὴν οἴκησιν ἔχων παρ' ὁδὸν ἐστόρεσε δύο κλίνας, μίαν μὲν μικράν, ἑτέραν δὲ μεγάλην· καὶ τοὺς παριόντας ἐπὶ ξενίαν καλῶν τοὺς μὲν βραχεῖς ἐπὶ τῆς μεγάλης κατακλίνων σφύραις ἔτυπτεν, ἵν' ἐξισωθῇ ταῖς κλίναις, τοὺς δὲ μεγάλους ἐπὶ τῆς μικρᾶς, καὶ τὰ ὑπερέχοντα τοῦ σώματος ἀπέπριζε.*	59, 5. *οὗτος δὲ τοὺς παριόντας ὁδοιπόρους ἠνάγκαζεν ἐπί τινος κλίνης ἀναπίπτειν, καὶ τῶν μὲν μακροτέρων τὰ ὑπερέχοντα μέρη τοῦ σώματος ἀπέκοπτε, τῶν δ' ἐλαττόνων τοὺς πόδας προέκρουεν, ἀφ' οὗπερ Προκρούστης ὠνομάσθη.*	Ad hunc hospes cum venisset, si longior erat, minori lecto proposito reliquam corporis partem praecidebat; sin autem brevior statura erat, lecto longiori dato incudibus [2]) suppositis extendebat eum, usque dum lecti longitudinem aequaret.

Haec inter se comparasse sufficiet ad demonstrandum ex eodem fonte omnes tres scriptores hausisse. Iam cum duorum

1) conf. etiam Plut. c, 10, 1.

2) Vide, quam bene hae Hygini incudes Apollodori malleis accommodatae sint.

nobis iam notae sint narrationes, vix miraberis, quod nova doctrinae fabularis augmenta, praeter suis Cromyoniae originem (nam Cercyonis genealogia iam nota erat ex Schol. Plat. Legg. p. 796 A) a tertio frustra exspectaveris.

2. Haec igitur omnia a vulgata posterioris aevi versione non recedebant; contra de tauro Marathonio, abiecta usitata fabulae forma, raram quandam atque singularem praetulit, quae adhuc apud Ovidium (Met. VII 405—452) solum et tertium Mythographum Vaticanum I 48 legebatur. Nam cum apud reliquos Theseus, postquam a patre agnitus est, ut patriam tanta molestia liberet, contra taurum Marathonium proficiscatur, hic Aegeus Medea auctore, quae ab ignoto adulescentulo insidias sibi strui seni persuaserat, ipse eum Marathonem mittit sperans fore ut nusquam rediret. Hanc fabulae vulgaris mutationem a poeta quodam consulto institutam esse nemo non videt. Ac bene accidit, quod unum momentum tragici poetae manum indicat. Ubi enim, nisi in tragoediae argumento, notatu dignum erat eodem die (*αὐθημερινόν*), quo a pugna cum tauro Theseus rediisset, etiam poculum illud veneno conditum in epulis ei admotum esse? Hanc autem tragoediam E u r i p i d i s A e g e u m, de quo ipse ab initio cogitaveram, fuisse recte suspicatus est Michaelis (Arch. Zeitung XLIII p. 281 et 291 s.). Sic perspicimus non modo, quam apte Euripides, rerum ordine paulum mutato, illum Thesei laborem Medeae dolis implicuerit, ut largiorem materiam ad absolutae tragoediae ambitum explendum nancisceretur, verum etiam, unde fabulae sic transformandae consilium ei venerit. Nam certo ante oculos ei versabantur notae machinationes ab Iobate in Bellerophontis perniciem excogitatae, quae ad Aegeum eo facilius transferri poterant, quod ille pari leto iam antea Androgeum Minois filium perdiderat[1]; neque dubito, quin Medea apud Euripidem, ut regi tam immane consilium spernenti persuaderet, hisce potissimum exemplis usa sit.

Ceterum eis, quae ad fabulam restruendam Michaelis proposuit, haec habeo quae addam. Chori partes agebant non

1) Ap. III 15. 7, 3 *τοῦτον Αἰγεὺς ἐπὶ τὸν Μαραθώνιον ἔπεμψε ταῦρον, ὑφ' οὗ διεφθάρη.*

ut Welckerus (Trag. II p. 730) coniecerat, famulae Medeae, sed cives Athenienses, quod etiam Michaelis suspicari videtur, cum ex fragm. 3[1]) chorum Theseo benevolum fuisse concludat (quamquam hunc quidem versiculum: δειλῶν γυναῖκες δεσποτῶν θρασύστομοι de Medea potius, quam ab ipsa dictum esse statuerim). Nam haud dubie Theseus statim post adventum, quanta facinora in itinere perfecisset enarraverat. Quod si fecerat, eo facilius Medea Aegeo persuadebat, quanta pericula regno suo ab homine de omnium civium salute tam egregie merito conflarentur (ὡς ἐπίβουλον αὐτοῦ), nec non opportuna occasio dabatur Aegei mandato, ut qui tam audacia incepta felicissime perpetravisset, etiam tauri interimendi periculum subiret. Nam si ad augendum tragoediae argumentum ab Euripide fabularum conexum mutatum esse recte supra coniecimus, apparet haec omnia, quae modo descripsimus, non, ut opinatur Michaelis, in prologum Medeae coartata, sed ipsa in scaena acta esse. Prologus igitur Theseo erit concedendus patriam ignotam claramque Aegei sedem salutanti. Post parodum chori, qui fortasse regem, ut quacumque ratione terram calamitate vix tolerabili expediret, imploraturus convenerat[2]), sequebantur primae Medeae machinationes, donec Theseus ad certamen cum tauro, qui fortasse iam regiones urbi propiores vastabat, proficisceretur. Chorus ad novam spem elatus simulque de temerarii adulescentis vita anxius supplicibus votis deos adit, ut faustum pugnae eventum adnuerent, si minus, sempiternam quidem gloriam illi futuram esse (fr. 11 ἔστι καὶ πταίσαντ' ἀρετὰν ἀποδείξασθαι θανάτῳ). Deinde Theseus victor in urbem revertitur[3]), ubi deinceps ea geruntur, quae totius tragoediae materiem effecisse antea credideramus. Prae ceteris memorabilis est Thesei ἀναγνωρισμός multo melius quam apud Plutarchum eo confectus, quod adulescens gladium, quo taurum interemerat, tamquam memoriae gratia patri donat.

1) Numeri sunt Nauckii in Trag. Graec. fragm. editione secunda.

2) Confer Sophoclis Oedipodem Regem.

3) Sic e. gr. in Euripidis Supplicibus v. 597 Theseus, ut Thebanis bellum inferret, scaenam relinquit, et iam v. 634, brevi chori carmine interposito, victoriae nuntius adest.

In eo carmine, quo chorus Thesei victoriam celebrabat, Euripides haud dubie etiam antecedentium facinorum laudem addiderat, similiter atque in Hercule furente v. 348—441 herois ab inferis reducis labores enumerantur. Quod si verum est, probabiliter conicere licet apud Ovidium, quem novum fabularum conexum ab Euripidis Aegeo mutuatum esse supra monuimus, etiam in carmine, quo Athenienses res a Theseo gestas inter pocula praedicantes inducit (Met. VII 433—450), artis Euripideae vestigia latere.[1]) — Unde Apollodorus hoc frustulum poeseos tragicae sibi adsumpserit, nullo testimonio constat: nemo non statim de Asclepiadis Tragodumenis cogitabit, quae inter Apollodori fontes fuisse num aliqua cum veritatis specie statui possit, de Euripidis Hippolyto priore disputantes infra videbimus.

§ 4.

MINOTAURUS.

(cap. I 7—10.)

1. Apollodori narrationem si cum Diodoro (IV 61) comparamus, pauca offendimus, quae diversa sunt. Sic apud Diodorum Minos ipse ad secundum tributum exigendum adest, cum Apollodorus Theseum *ἐπὶ τὸν τρίτον δασμόν* electum esse breviter referat. Minois praesentiam in epitoma frustra requiris, sed tam abrupte ad novam fabulam pergitur, ut paulo fusiorem ipsius Apollodori narrationem fuisse facile suspiceris. Utrum apud Diodorum Theseus tanto periculo ultro se obtulerit, ut est apud Hyginum (f. XLI), an consulto ab Atheniensibus aut a Minoe[2]) destinatus sit, quod propter illius adventum praetulerim, nescimus, quoniam hoc loco (inter 61, 3 et 4) Diodori textui aliquid excidit: Apollodorus utramque versionem memorat, sed hanc vulgatam esse significat. Reliqua autem

1) Quanto opere Ovidius praecipue in Heroidibus, sed etiam in Metamorphosibus tragicorum versiones atque colores imitatus sit, nuper exposuit Ribbeckius, Gesch. d. röm. Dichtung II p. 243 ss. et 303.

2) Haec erat Hellanici relatio fr. 73 = Plut. 17, 4 (conf. Wellmann. l. l. p. 91 s. et Beth. l. l. p. 81 s.).

optime concinunt. Apud utrumque videmus Theseum cum Ariadne noctu clam effugisse[1]), uxoremque ab eo Naxi in insula non propter perfidiam, (ut apud Hyginum f. XLIII) aut alium amorem (confer notissimum versiculum a Pisistrato ex Hesiodi carminibus expulsum) desertam, sed a Baccho ei abreptam esse; quare perturbati atque maesti Thesei comites apud Diodorum, ipse maritus apud Apollodorum et Pausaniam I 22, 5 (cui discrepantiae haud ita multum tribuendum esse duco), Aegei mandatum perficere obliviscuntur, atque Aegeus atro velo adspecto de arcis rupibus sese praecipitat. — Bacchum cum Ariadne Lemni primo concubuisse neque apud Diodorum reperio, neque usquam alibi; eoque memorabiliorem hanc fabulam dixerim, quod sic novum testimonium raris vestigiis cultus Bacchici in insula Cabirorum florentis[2]) peropportune accedit.

2. Iam ad antiquiores huius fabulae fontes adscensuri in tantam incidimus auctorum et versionum varietatem, ut terminis quam maxime fieri potest angustis inquisitionem nostram circumscribere oporteat. Atque a limine statim excludendi sunt omnes auctores, qui aut veteris fabulae atrocitatem minuerunt, ut Aristoteles (fr. 157 M. = Plut. 16, 3), aut quoquo modo miram Minotauri figuram ad rerum humanarum mensuram revocare studuerunt, ut Demon fr. 3 et Philochorus fr. 38—40. Nam cum Apollodorus non satis laudari possit, quod ab omni genere fabulas seu allegorice seu physice seu quavis alia ratione explicandi prorsus abstinuerit, Diodorus tantis in deliciis

1) In Apollodori verbis *καὶ διὰ νυκτὸς μετὰ Ἀριάδνης καὶ τῶν παίδων εἰς Νάξον ἀφικνεῖται,* ipsius profectionis mentionem aegre desidero. Quae si cum Pherecydis fr. 106 et Diodoro comparas: *κλέψας τὴν Ἀριάδνην ἔλαθεν ἐκπλεύσας νυκτὸς καὶ κατῆρεν εἰς νῆσον τὴν τότε μὲν Δίαν, νῦν δὲ Νάξον προσαγορευομένην,* vix dubitabis, quin post verba *διὰ νυκτός* verbum *ἐκπλεύσας* vel simile quid addendum sit. Etiam vetus insulae nomen a Diodoro memoratum Apollodorum quoque attulisse puto, quippe qui talia diligenter referre soleat (conf. I 4. 1, II 1. 1, 4 III 12. 6, 6; 14, 1, ep. XVI 11). Contra Ariadnae coronam sideribus additam (Diod. 61, 5) bibliothecae auctor, qui catasterismos raro commemoret (III 4. 3, 7; 8. 2, 5), vix meminerat.

2) conf. Kern, Herm. XXV p. 15.

talia habuit, ut, si Taurum exercitus Cretensis ducem in fonte suo invenisset, eum libro suo inserere non dubitaturus fuisset.[1]) De Hellanico autem, quem a Diodoro adhibitum esse Wellmannus l. l. p. 91 ss. sagacius quam verius evincere conatus erat, non iam verba facere opus est, postquam Bethius l. l. p. 81 s. eum bene refutavit.

Contra, si ab epitomae verbis proficiscimur, maxime in censuram venit Pherecydis fr. 106, quod in schol. Hom. λ 320 sic servatum est: *Θησεὺς ὁ Αἰγέως λαχὼν μετὰ τῶν ἠιθέων εἰς Κρήτην πλεῖ τῷ Μινωταύρῳ παρατεθησόμενος πρὸς ἀναίρεσιν. ἀφικομένου δὲ αὐτοῦ ἐρωτικῶς πρὸς αὐτὸν διατεθεῖσα ἡ τοῦ Μίνωος θυγάτηρ Ἀριάδνη δίδωσιν ἀγαθίδα μίλτου* (*μίτου* Buttm.) *λαβοῦσα παρὰ Δαιδάλου τοῦ τέκτονος καὶ διδάσκει αὐτόν, ἐπειδὰν εἰσέλθῃ, τὴν ἀρχὴν τῆς ἀγαθίδος ἐκδῆσαι περὶ τὸν ζυγὸν τῆς ἄνω θύρας καὶ ἀνελίσσοντα ἰέναι, μέχρις ἂν ἀφίκηται εἰς τὸν μυχόν, καὶ ἐὰν αὐτὸν καθεύδοντα μάρψῃ, κρατήσαντα τῶν τριχῶν τῆς κεφαλῆς τῷ Ποσειδῶνι θῦσαι καὶ ἀπιέναι ὀπίσω ἀνελίσσοντα τὴν ἀγαθίδα. ὁ δὲ Θησεὺς λαβὼν τὴν Ἀριάδνην εἰς τὴν ναῦν ἐμβάλλεται καὶ τοὺς ἠιθέους καὶ παρθένους οὐ δήπω φθάσαντας τῷ Μινωταύρῳ παρατεθῆναι· καὶ ταῦτα ποιήσας νυκτὸς μέσης ἀποπλεῖ. προσορμίσας δὲ τῇ Δίᾳ νήσῳ, ἐκβὰς ἐπὶ τῆς ἠιόνος μετακοιμᾶται, καὶ αὐτῷ ἡ Ἀθηνᾶ παραστᾶσα κελεύει τὴν Ἀριάδνην ἐᾶν καὶ ἀφικνεῖσθαι εἰς Ἀθήνας· συντόμως δὲ διαναστὰς ποιεῖ τοῦτο* (Reliqua solam ad Ariadnen eiusque coronam pertinent.). Iam animadvertas quaeso, quam dilucida vestigia Pherecydis, quem huc usque in rebus Atticis auctor noster secutus esse non videbatur, eluceant ex epitomae his verbis: *ὡς δὲ ἧκεν εἰς Κρήτην, Ἀριάδνη θυγάτηρ Μίνωος ἐρωτικῶς διατεθεῖσα πρὸς αὐτὸν* . . .; quem consensum eo minus casui tribues, quod formula *ἐρωτικῶς διατεθεῖσα* nullo alio loco bibliothecae, in qua constanter fere legitur *ἔρωτα ἴσχει*[2]),

1) Tanto opere hac in re Apollodori mythographia distat a Diodori, ut iamiam pensitem, nonne fortasse bibliotheca nostra, cui titulus cum Diodori opere communis est, propterea conscripta sit, ut historia fabularis evaderet simplicior atque concinnior, quam apud Diodorum.

2) conf. Hercher, Philol. IV p. 569. Contra sequentia excerptorum

aut *ἐρασθεῖσα* reperitur. Habes praeterea Theseum non sua sponte Minotauro se offerentem, quam versionem alteri praetulerat Apollodorus, Daedalumque Ariadnae filum suppeditantem, nec non fugam nocturnam, quam Pherecydes uberius descripsisse videtur (conf. Plut. Thes. 19, 2). Praecipue autem in causa, cur Theseus Ariadnen Naxi deseruerit, cum Pherecyde concinunt Apollodorus et Diodorus, etiamsi leviores discrepantiae, quae magis in fusiore aut breviore fabulae explicatione quam ipsa in re positae sunt, observentur. Nam cum apud Pherecydem Minerva Theseum, ut uxorem Baccho concedat, in somniis cohortetur (quam versionem tunc temporum inter Athenienses pervulgatam fuisse concludo ex vase Berolinensi rubris figuris exornato[1]), ubi Minervam adspicimus heroem ab Ariadne, cui altera ex parte Liber appropinquat, abducentem), Diodorus V 51 easdem partes ipsi Baccho tribuit[2]): *καὶ κατὰ τὸν ὕπνον ἰδὼν τὸν Διόνυσον ἀπειλοῦντα αὐτῷ, εἰ μὴ ἀπολείψει τὴν Ἀριάδνην αὐτῷ, φοβηθεὶς κατέλιπε καὶ ἐξέπλευσε.* Apollodorus autem accuratiorem hanc narrationem in pauca verba coegit: *ἔνθα Διόνυσος ἐρασθεὶς Ἀριάδνης ἥρπασε*[3]), non aliter quam ipse Diodorus IV 61, 5: *Διόνυσον ἐπιφανέντα καὶ διὰ τὸ κάλλος τῆς Ἀριάδνης ἀφελόμενον τοῦ Θησέως τὴν παρθένον ἔχειν αὐτὴν ὡς γυναῖκα* .... Quae autem restat gravissima differentia de Minotauri morte[4]), facile expeditur. Tam singularem enim atque obscuram versionem hic protulit Pherecydes, ut dubitari nequeat, quin Apollodorus et Diodorus (vel

---

verba: *ἐὰν ὁμολογήσῃ γυναῖκα αὐτὴν ἕξειν ἀπαγαγὼν εἰς Ἀθήνας*, quae neque apud Diodorum neque in Pherecydis fragmento leguntur, Apollodori propria esse apparet ex I 9. 23, 5 (conf. Comm. Ribb. p. 149).

1) n. 2179 in Furtwaengleri catalogo (Gerhard, Etr.-Camp. Vasenb. tab. VI s.).

2) Mercurium addit Servius ad Verg. Georg. I 222: 'Ariadnen ibi vel consulto vel necessitate vel monitu Mercurii a Theseo derelictam.'

3) conf. Paus. I 20, 3 *Ἀριάδνη δὲ καθεύδουσα καὶ Θησεὺς ἀναγόμενος καὶ Διόνυσος ἥκων ἐς τῆς Ἀριάδνης ἁ ρ π α γ ή ν.*

4) Haud scio an a simili versione repetenda sit vetustissima huius facinoris adumbratio in solio Amyclaeo, quam Pausanias (III 18, 11) non satis se perspexisse confitetur: *τὸν δὲ Μίνω καλούμενον Ταῦρον οὐκ οἶδα ἀνθ' ὅτου πεποίηκε Βαθυκλῆς δεδεμένον τε καὶ ἀγόμενον ὑπὸ Θησέως ζῶντα.*

potius utriusque auctor) abiecta hac obsoleta relatione eam, de qua ipsorum aetate inter omnes constabat, suo more referre maluerint. Attamen hac ipsa discrepantia ad artiorem conexum inter Apollodorum et Pherecydem firmandum quodam modo reducimur. Quaerenti enim, cur apud Pherecydem Theseus Minotaurum tamquam hostiam Neptuno destinatam immolaverit, vix alia relinquitur explicatio, quam tauri illius, qui Neptuno sacrificandus quondam Minoi e mari emissus erat, filium quidem deo mactatum esse, ut sacrificium, quo subrepto Minos tantam Neptuni iram tantamque ignominiam sibi suisque contraxerat, tandem aliquando efficeretur. Etiam de Daedalo labyrinthi architecto Pherecydis fragmento constat. Quae cum ita sint, non sine causa suspicari mihi videor Pherecydem etiam de Minotauri origine eadem fere, quae in bibliotheca III 1. 3 s. leguntur, litteris mandasse.

Qua ratione Theseus monstrum necaverit, scriptores omittere solent; apud Apollodorum luctando (*παίων πυγμαῖς*) eum superavit, quo in genere Theseum excelluisse auctores sunt, qui in certaminis cum Cercyone descriptione eum *τῆς παλαιστικῆς τέχνης* inventorem fuisse memorant (Paus. I 39. 3). Hoc ad Minois mandatum (Ap. III 15. 8, 5) respicit, ut inermes adulescentes Minotauro destinati in Cretam mitterentur, unde utrumque locum ex eodem fonte derivatum esse apparet. Ceterum hanc versionem recentioris aevi fuisse conieceris, nam in vasorum picturis[1]) Theseus gladio hostem aggreditur, contra solo in admirabili signo aeneo Antiquarii Berolinensis[2]), quod ad Diadochorum aetatem spectat, Minotaurum pugnis oppressum prosternit.

§ 5.

DAEDALI FUGA.

(cap. II.)

1. Hoc Apollodori fragmentum, cuius finem corruptum ex Schol. Hom. *B* 145 emendavi Mus. Rhen. XLI p. 142, iam no-

1) Baumeister l. l. III p. 1788 ss. Gerhard A. V. III 160.
2) Baumeister III p. 1791.

tum erat ex Zenobio IV 92. Quocum conferenda est altera Diodori versio de Daedali fuga (IV 77, 7 ss.) et de Minois morte non a Cocali filiabus, sed ab ipso rege perpetrata (79); ex Hygino huc pertinent fab. XL de Pasiphae et Daedalo et fab. XLIV de Cocalo. Haec si omnia inter se comparamus, pauca offendimus, quae inter se differant, singula quaedam similiter expressa sunt[1]); attamen Apollodori narratio multo reliquis accuratior tam singularem perhibet indolem, ut de communi fonte cogitari nequeat.

Atque de causa, cur Minos tanta iracundia Daedalum persecutus sit, varia scriptores referunt. Nam apud Diodorum et Hyginum Minos propter auxilium, quo Pasiphaes nefandum amorem adiuverat, artificem labyrintho inclusit, ut etiam Euripides in Cretensibus Daedali fugam cum Pasiphaes furore coniunxisse videtur[2]). Quamquam Hygino etiam alteram versionem notam fuisse indicat fabulae XLIV, post Ariadnen insertae, initium: 'Minos, quod Daedali opera multa sibi incommoda acciderant, in Siciliam est eum persecutus.' Contra ereptae filiae culpam aperte ei tribuit apud Apollodorum et Aristotelem in Heracl. Pont. exc. XLI (*διὰ τὸ δεῖξαι τὴν εἰς τὸν λαβύρινθον εἴσοδον*). — Pendet haec differentia ex diverso loco, quo quisque Daedali fugam fabularum seriei intercalavit. Sic dubium non est, quin Pherecydes quoque eandem causam memoraverit, quae Apollodoro praeferenda erat, postquam Minotauri caedem Daedali ope perfectam esse enarravit. Sed cum Zenobii interpolator alteram causam protulerit (*δι᾽ ὅπερ εἰργάσατο μύσος ἐπὶ τῷ τῆς Πασιφάης ἔρωτι τῷ πρὸς τὸν ταῦρον*), non praefracte negaverim omissam esse ab epitomatore Apollodori adnotationem, qua ab aliis illam irae explicationem inductam esse rettulerat. Sic alia quoque lacuna in excerptis ante verba *Δαίδαλον δὲ ἐδίωκε Μίνως* exstare videtur. Namque post Icari mortem diligenter descriptam desideramus patris adventum ad Cocalum. Neque sufficeret exile

1) Conf. Diod. 77, 9 *καὶ τὸν μὲν Ἴκαρον διὰ τὴν νεότητα μετέωρον τὴν πτῆσιν ποιούμενον πεσεῖν εἰς τὸ πέλαγος, τακέντος διὰ τὸν ἥλιον τοῦ συνέχοντος τὰς πτέρυγας κηροῦ.*

2) Conf. Nauckii Fragm. trag. Graec.² p. 505.

supplementum, quod praebent verba apud Zenobium interposita *Δαίδαλος δὲ διασώζεται*, praestaret arcessere copiosam Diodori narrationem: *αὐτὸν δὲ παρὰ τὴν θάλατταν πετόμενον καὶ παρ' ἕκαστον τέγγοντα τὰς πτέρυγας διασωθῆναι παραδόξως εἰς τὴν Σικελίαν.* Fortasse autem abrupta oratio inde explicatur, quod Apollodorus hic ad alium fontem exscribendum progressus est.

2. A Cocalo, Camiciorum rege, Antiochum historiae Siculae perscribendae initium fecisse legimus apud Diodorum XII 71, nec non Philistus (fr. 1) et Ephorus (fr. 99) Daedalum ad Cocalum venisse commemoraverant. Itaque facile exspectaveris historicum quendam scriptorem a mythographo nostro exhaustum esse. Quod ne faciamus, admonet tota indoles narrationis, quae tam diserte atque lepide anxii patris admonitiones, Minois contentiones ad Daedalum investigandum aliaque depingat, ut de poeta quodam Apollodori auctore dubitari nequeat. Atque haec ipsa Minois machinatio, qualem describit Apollodorus, tam mira atque artificiosa est, ut poetae Alexandrini manum atque inventionem agnoscere nobis videremur, nisi fabulae Sophocleae hic latere argumentum demonstrarent fragmenta Sophoclis Camiciorum iam pridem a viris doctis cum Zenobio collata. Nam in fragmento 301:

ἁλίας στραβήλου τῆσδε τέκνον, εἴ τινα
δυναίμεθ' εὑρεῖν ⟨ὃς διείρειεν λίνον⟩

quid sibi vellet concha filo perforanda, vix intellegeremus, nisi aptam explicationem haec narratio suppeditaret, ex qua etiam patet recte huc relatum esse fr. 302 *πισσοκώνητον μόρον.* Iam vero quaerendum est, utrum ea tantum, quae ad Minoem pertinent, an etiam antecedentem Icari interitum, quem haud dubie apud Sophoclem Daedalus enarraverat, ab huius fabulae argumento Apollodorus repetierit; quod si verum esset, etiam maris Icarii nomen ab Icaro derivatum Sophocli esset tribuendum. Hoc autem minus probabile esse iam Wellmannus (l. l. p. 75) recte perspexit. Accedit quod, ut modo adnotavimus, hiante orationis conexu inter verba *ἀπέθανε* et *Δαίδαλον δὲ ἐδίωκε Μίνως*, quasi digito nobis monstratur is locus, ubi narrationes diversis ex fontibus haustae consutae sunt. Atqui

etiam in fine aliam versionem a Sophocle recedentem adnectit: *ὡς δὲ ἔνιοί φασιν, ζεστῷ καταχυθεὶς ὕδατι μετήλλαξεν.* Hanc autem cum Icari morte coniunctam unam atque continuam historiam efficere videmus in Schol. Hom. *B* 145: *μετὰ τὴν τῆς Πασιφάης πρὸς τὸν ταῦρον μῖξιν Δαίδαλος εὐλαβούμενος τὴν Μίνωος ὀργὴν πτερωτὸς σὺν Ἰκάρῳ τῷ υἱεῖ ἐφέρετο· καταπεσόντος δὲ τοῦ παιδὸς τὸ ὑποκείμενον πέλαγος Ἰκάριον μετωνομάσθη· ὁ μέντοι Δαίδαλος διαπτὰς εἰς Κάμικον τῆς Σικελίας καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐκδεχόμενος ἔμεινε παρὰ ταῖς Κωκάλου θυγατράσιν, ὑφ᾽ ὧν ὁ Μίνως ἥκων εἰς ἐπαναζήτησιν τοῦ Δαιδάλου ἀποθνήσκει καταχεθέντος αὐτοῦ ζεστοῦ ὕδατος. ἱστορεῖ Φιλοστέφανος* [frg. 36 M.] *καὶ Καλλίμαχος ἐν Αἰτίοις* [fr. 5 S.]. Iamiam sentis, quomodo res se habere videatur: Apollodorus inter mediam Callimachi narrationem, ut rariore quadam versione librum suum exornaret, argumentum tragoediae Sophocleae interposuit.

Si autem ex Callimacho Apollodorus Icari lamentabile fatum expressit, haud scio, an Apollodoro duce dilucidiorem etiam elegiae Callimacheae imaginem aliunde elicere contingat, quamquam de re ancipiti certum iudicium facere non audeo. Ea enim verba, quibus in epitoma Daedalus filium adhortatur, ut volatus pericula caute evitet: *ἐνετείλατο, μήτε εἰς ὕψος πέτεσθαι, μὴ τακείσης τῆς κόλλης ὑπὸ τοῦ ἡλίου αἱ πτέρυγες λυθῶσι, μήτε ἐγγὺς θαλάσσης, ἵνα μὴ τὰ πτερὰ ὑπὸ τῆς νοτίδος λυθῇ,* simillima sunt versibus Ovidii Met. VIII 203 ss.:

> instruit et natum, ‘medio’ que ‘ut limite curras,
> ‘Icare’, ait ‘moneo: ne, si demissior ibis,
> unda gravet pennas; si celsior, ignis adurat.’

Item quae sequuntur: *ψυχαγωγούμενος ἀεὶ μετέωρος ἐφέρετο· τακείσης δὲ τῆς κόλλης πεσὼν εἰς τὴν ἀπ᾽ ἐκείνου κληθεῖσαν Ἰκαρίαν θάλασσαν ἀπέθανε,* comparo cum vv. 224 ss.:

> deseruitque ducem caelique cupidine tactus
> altius egit iter. rapidi vicinia solis
> mollit odoratas, pennarum vincula, ceras.
> tabuerant cerae . . .
> 229 oraque caerulea patrium clamantia nomen
> excipiuntur aqua: quae nomen traxit ab illo.

Haec observanti mihi, cum de Ovidio Apollodori auctore cogitari nequeat, in mentem venit, nonne fortasse Ovidio, cum hanc partem Metamorphoseon componeret, illud Callimachi carmen ante oculos versatum sit[1]). Tanta enim diligentia tantaque suavitate singula omnia, alarum fabricam, puerilem nati laetitiam anxiamque patris curam, stuporem hominum volatum intuentium, denique interitum pueri, excoluit poeta Romanus, ut, si Graecis versibus haec nobis tradita essent, nemo non admiraretur tamquam nitidissimum artis Alexandrinae specimen vateque Battiade dignissimum. Atque Ovidium, qui iam in ultima Heroide Callimachi Cydippen sedulo imitatus erat, etiam in Metamorphoses Callimachea multa praecipue ex Aetiis transtulisse ipsa res fert.

3. Ceterum vestigia doctrinae Callimacheae apud Apollodorum (de Apolline Aegleta I 9. 26, 1: Call. fr. 113, et de Busiride II 5. 11, 6: Call. fr. 182) nuper indagavit Georgius Knaack[2]). Quibus praeter litem Minervae et Neptuni[3]) (III 14. 1, 3: Call. fr. 384) et Molorchum (II 5. 1: Call. fr. 6) nova quaedam exempla ex epitoma addere iuvabit. — Num vero ipse Apollodorus amplissima Callimachi volumina perlustravit? Hoc iactare nihil aliud esset quam omnia negare, quae de totius bibliothecae indole compilatoria speciosis virorum doctorum disquisitionibus nunc constant. Unde autem haec Callimachi fragmenta in bibliothecam pervenerint, ni egregie fallor, ex ipso scholio Homerico *B* 145 docemur. Cuius subscriptionem *ἱστορεῖ Φιλοστέφανος καὶ Καλλίμαχος ἐν Αἰτίοις* si comparas cum Philostephani fr. 38[4]) (Schol. Hom. *ο* 16) *ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Φιλοστεφάνῳ καὶ Φερεκύδῃ*, fr. 4 (Schol. Apoll. Rhod. I 1024) *ὥς ἱστοροῦσι Φιλοστέφανός τε καὶ Νυμφόδωρος*, fr. 19 (Harpocratio s. v. *Στρύμη*) *Ἡρακλείδης*[5]) *ἢ Φιλο-*

1) Nota duplex *αἴτιον*, et maris et insulae nominis, in fine.

2) Callimachea (progr. Stett. 1887) p. 3 et 8.

3) confer Wellmannum l. l. p. 64 s.

4) FHG ed. Mueller III p. 28—34. Uberius de Philostephano exposuit R. Stiehle Philol. IV p. 385—412.

5) Heraclidem Ponticum intellegendum esse, cuius liber *Περὶ τῶν νήσων* laudatur a Stephano Byzantio, adnotat Muellerus.

στέφανος ἐν τῷ Περὶ νήσων φησί, quid propius a veritate abesse videtur, quam Philostephanum, quod non debebat Stiehlius l. l. p. 410 negare, auctorum nomina fabulis aliisque rebus a se memoratis subiecisse, itaque totam hanc scholiastarum doctrinam simul cum fontium memoria ex illius libris manavisse?[1]) Quid praeterea probabilius est, quam hunc Callimachi sodalem atque adseclam, cum multifariam doctrinam mythologicam ex variis scriptoribus corraderet, etiam aequalium poetarum atque in primis ipsius magistri sui scrinia non hoc loco solo despoliasse? Posterioribus autem temporibus haud mediocri auctoritate floruisse Philostephanum testes sunt fragmenta in scholiis ad Homerum Apollonium Vergilium aliosque et apud Stephanum Byzantium Plutarchum Athenaeum exstantia. Etiam Tzetzes eum saepius citat, quamquam compilatori fallacissimo se ipsum Philostephani opera legisse diserte affirmanti (Chil. VII 650 ss.) confidere non ausim. Apollodorum nostrum autem vinculo quodam cum Philostephano cohaerere iam Wellmannus (l. l. p. 62 ss.) ex Adonidis fabula (III 14. 4, 1) cum fr. 14 comparata recte conclusit, sed ipsum Philostephani volumina in manibus tenuisse non concessit, ne quid Istro suo detraheret, a quo Philostephanum adhibitum esse ex coniuncta utriusque mentione in fr. 11 conicit. Sed ut statuamus Apollodorum Callimachea sua non ab ipso Philostephano, sed ab Istro, qui illum exscripserat, derivasse, huius corporis fabularum Atticarum auxilio plane destituimur in argumentis a cyclo Attico prorsus abhorrentibus, velut de Apolline Aegleta Argonautis viso, de Busiride, de Aiacis Locri interitu (conf. § 25, 1). — Restat, ut cum Erico Bethe (p. 83) ad compendium mythologicum refugiamus, ex quo Apollodorus cum multis aliis fortasse haec quoque Callimachi frustula transtulerit. Huic coniecturae narratio de Icari interitu, quam aliqua ex parte cum Diodoro congruere initio huius paragraphi adnotavimus, et de Busiride (Ap. II 5. 11, 6. Hyg. f. LVI) non repugnaret. Sed iam Apollinis Aegletae visio magis ad reconditiorem Alexandrinorum erudi-

1) confer etiam, quae de fr. 14 exposuit Wellmannus l. l. p. 63, et quae de Asclepiade explanabimus § 25, 2.

tionem, quam ad pervulgatae historiae fabularis enchiridium pertinet, quam ob rem nemo mirabitur, quod neque apud Diodorum neque apud Hyginum eius vestigium reperitur. Idemque de Molorcho affirmandum est, quem Callimacho Apollodorum debere apparet ex comparatione locorum infra additorum[1]). Nam quo minus premere velim, quod Hyginus, ubi Herculis parerga breviter enumerat (fab. XXXI), hanc historiunculam praetermisit, eo magis exspectaveris, eam Diodori (IV 11, 3 s.) venationis Nemeae enarrationi tam copiosae, ut ex ea demum quae brevius rettulit Apollodorus intellegere ac supplere contigerit[2]), insertam esse. Quod non est factum. Hic igitur egregium deprehendimus exemplar bellarum istarum fabularum, quibus, cum aliunde se offerrent, Apollodorus bibliothecae suae fundamenta nescio cui enchiridio superstructa nitide excolenda curavit (conf. Beth. p. 98). Atqui hanc quidem fabellam Callimacheam esse modo evicimus, Apollodorum autem, quem nunquam Callimachi volumina inspexisse inter omnes constat, eius fragmenta a Philostephano repetiisse ex fragmento utrique communi haud dubie ab Apollodoro exscripto supra conclusimus (p. 134). Ergo magna cum veritatis specie hoc

---

1) Probus ad Verg. Georg. III 19: Molorchus fuit Herculis hospes, apud quem is diversatus est, cum proficisceretur ad leonem Nemeum necandum. qui quum immolaturus esset unicum arietem, quem habebat, ut Herculem liberalius acciperet, impetravit ab eo Hercules, ut eum servaret immolaturus vel victori tanquam deo vel ⟨victo et interfecto a leone Manibus * * *⟩ . . .

Apoll. II 5. 1, 1: *πορευόμενος οὖν ἐπὶ τὸν λέοντα ἦλθεν εἰς Κλεώνας, καὶ ξενίζεται παρ᾽ ἀνδρὶ χερνήτῃ Μολόρχῳ. καὶ θύειν ἱερεῖον θέλοντι εἰς ἡμέραν ἔφη τηρεῖν τριακοστήν, καὶ ἂν μὲν ἀπὸ τῆς θήρας σῷος ἐπανέλθῃ, Διὶ σωτῆρι θύειν, ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ, τότε ὡς ἥρωι ἐναγίζειν.*

Supervenit itaque et Molorcho paranti sacrificium Manibus, ubi et aries immolatus erat . . .

καταλαβὼν δὲ τὸν Μόλορχον ἐν τῇ τελευταίᾳ τῶν ἡμερῶν ὡς νεκρῷ μέλλοντα τὸ ἱερεῖον ἐναγίζειν, σωτῆρι θύσας Διὶ ἦγεν εἰς Μυκήνας τὸν λέοντα.

Sed Molorchi mentio est apud Callimachum in *Αἰτίων* libris [fr. 6 S.].

Temporis spatium Molorcho ab Hercule propositum in lacunosa Probi narratione excidisse recte monet Otto Jahn, Mus. Rhen. III (1845) p. 619.

2) conf. Comm. Ribb. p. 138.

statuere mihi videor: **Apollodorus praeter compendium illud, ex quo vulgatam fabularum formam atque conexum recepit, prae ceteris ipse adhibuit Philostephanum, ut luminibus quibusdam poesis Alexandrinae bibliothecam exornaret, haud aliter quam ex aliquo tragicarum fabularum cyclo — quis non de Asclepiadis Tragodumenis**[1]) **cogitaverit? — multas versiones tragicorum poetarum proprias usitatiorum narrationum seriei intexuit**[2]).

§ 6.

AMAZONES. HIPPOLYTUS.

(cap. III et XIX 2 s.)

1. Quo maiore varietate fabulae Atticae de Amazonibus insignes fuerunt, ut vel ex materia a Plutarcho (Thes. c. 26 s.) congesta perspicis, eo magis dolendum est, quod epitomator noster decantatum illud bellum, cuius memoria multis terrae Atticae regionibus penitus inhaerebat, hoc loco ne mentione quidem dignum esse duxit. Nam ipsum bibliothecae auctorem celeberrimam hanc pugnam silentio non praeteriisse cum ipsa res fert, tum excerptorum verba indicant. Si enim epitoma hanc bibliothecae partem accurate exprimeret, iure exspectares auctorem solito more ad novas nuptias referendas perrexisse: *ὕστερον δὲ . . . λαμβάνει Φαίδραν.* Sic autem neque, quae in codice leguntur: *τὴν πρότερον δὲ διαλυσάμενος ἔχθραν λαμβάνει παρὰ Δευκαλίωνος Φαίδραν*, antecedentibus apte opponuntur, et, qua ratione matrimonium cum Amazone solutum sit, frustra requirimus. Huic autem lacunae aliquod quidem supplementum accrescit ex ea adnotatione, quae in rebus Troicis Penthesileae morti adnexa est (c. XIX 2 s., Cur. myth.

1) de Asclepiade disputabimus § 6, 3 fin. et § 25, 2.

2) Nota etiam Plinium in auctorum indice, quos in septimo naturalis historiae libro exscripsit, una commemorasse 'Asclepiadem, qui *τραγῳδούμενα*, Philostephanum'.

§ 17). Propterea quae de ea dicenda sunt a Thesei historia separari nequeunt.

Ac primum quidem Apollodorus in Amazonis raptu cum Hegia (Nost. cycl. fr. dub. 7 K.) et Philochoro (fr. 49) Herculi Theseum socium addidit, cum ille *παραλαβὼν ἐθελοντὰς συμμάχους* (II 5. 9, 3) ad Hippolytes zonam capessendam proficisceretur. Plerique autem eique vetustiores auctores, ut Pherecydes Hellanicus[1]) Pindarus[2]), Theseum postea suo Marte expeditionem ad Amazones suscepisse referunt. — Deinde de nomine Amazonis a Theseo raptae magna est versionum differentia, quam ad explicandam ex epitoma nihil lucramur. Nostro enim loco Glaucen aut Melanippen Hippolyti matrem fuisse legimus; infra autem, ubi ad Hippolytes fata illustranda Atticas fabulas excitat, haec tertia additur, ut miremur, quod epitomator (non dixerim Apollodorus) Antiopen, cuius nomen antiquissima simul atque vulgatissima fama cum Theseo coniunxerat, omnino non commemoravit. Contra Hippolyten, quae haud dubie propter nominum similitudinem Hippolyti mater facta est, primus quantum scimus Cli[to]demus[3]) Antiopae substituit. Eandem praetulerunt Ister in catalogo Thesei uxorum[4]), Iustinus II 4. 19, nec non auctor tabulae Albanae, si modo recte Kluegmannus supplevit *ἔλαβεν Θησεὺς αἰ[χμάλω]τον Ἱππολύταν, ἐξ ἃ[ς υἱὸν] Ἱππόλυτον ποιεῖτ[αι*[5]). Contra quae ab epitomatore laudantur

1) Plut. Thes. 26, 1: *Εἰς δὲ τὸν πόντον ἔπλευσε τὸν Εὔξεινον, ὡς μὲν Φιλόχορος καί τινες ἄλλοι λέγουσι, μεθ' Ἡρακλέους ἐπὶ τὰς Ἀμαζόνας συστρατεύσας, καὶ γέρας ἀριστεῖον Ἀντιόπην ἔλαβεν· οἱ δὲ πλείους, ὧν ἐστι καὶ Φερεκύδης καὶ Ἑλλάνικος καὶ Ἡρόδωρος* (sed conf. Tzetz. in Lyc. v. 1332), *ὕστερόν φασιν Ἡρακλέους ἰδιόστολον πλεῦσαι τὸν Θησέα καὶ τὴν Ἀμαζόνα λαβεῖν αἰχμάλωτον.*

2) Paus. I 2, 1: *Ἀντιόπην Πίνδαρος μέν φησιν ὑπὸ Πειρίθου καὶ Θησέως ἁρπασθῆναι* (conf. inscriptionem tabulae Albanae l. 112 ss. Jahn, Griech. Bilderchron. p. 73).

3) apud Plutarchum c. 27 in strategica, ut ita dicam, pugnae descriptione: *τετάρτῳ δὲ μηνὶ συνθήκας γενέσθαι διὰ τῆς Ἱππολύτης· Ἱππολύτην γὰρ οὗτος ὀνομάζει τὴν τῷ Θησεῖ συνοικοῦσαν, οὐκ Ἀντιόπην* (confer etiam Diod. IV 28, 1).

4) Ath. XIII p. 557 a, confer Wellmannum l. l. p. 19 ss.

5) conf. Michaelisium in Jahn. Griech. Bilderchron. p. 73 et Herm. XIV p. 497 adn.

nomina Melanippes et Glauces, quamquam hic illic memorantur[1]), tamen cum Theseo, quantum video, alibi nusquam conexa reperiuntur.

Sed iam ab hac nominum differentia ad ipsius rei enarrationem perveniamus. Notissimum est magnum bellum ab Amazonibus, ut Antiopae a Theseo raptae subvenirent, Atheniensibus illatum, et clades ab eis accepta: qua ex victoria ab artificibus non minus quam ab oratoribus celebrata Athenienses haud exiguum vetustissimae gloriae titulum patriae suae addere solebant. Neque desunt, qui ipsam Thesei uxorem hoc in proelio interiisse proferant, sive a marito[2]), sive a Molpadia Amazone[3]) occisam. Contra in excerptis, quae magnam hanc Amazonum expeditionem ignorant, longe alia exstat relatio (XIX 2 s.): Theseus enim, ut Phaedram in matrimonium ducere possit, similiter atque Iason Medeam, barbaram uxorem exacturus est; haec autem cum eis quae quondam Athenas se comitatae erant Amazonibus maritum infidelem in mediis epulis nuptialibus aggreditur, sed in pugna interficitur. Atque hanc fabulam congruere video cum unico fere quod ex Theseide nobis servatum est fragmento (Plut. c. 28): *ἣν γὰρ ὁ τῆς Θησηΐδος ποιητὴς Ἀμαζόνων ἐπανάστασιν γέγραφε, Θησεῖ γαμοῦντι Φαίδραν τῆς Ἀντιόπης ἐπιθεμένης καὶ τῶν μετ᾽ αὐτῆς Ἀμαζόνων ἀμυνομένων καὶ κτείνοντος αὐτὰς Ἡρακλέους, περιφανῶς ἔοικε μύθῳ καὶ πλάσματι*; nisi quod Antiope Hippolytes loco commemoratur, quam cum reliquis Amazonibus ab Hercule necatam esse veri simile est. Huic enim in Theseide similes partes tributae esse videntur, atque Thesei in Pirithoi

1) Glauce Hyg. f. CLXIII, ubi in Amazonum catalogo Melanippen non invenis, et Schol. Hom. *Γ* 189, in quo etiam memorantur *Μελανίππη καὶ Ἱππολύτη Ἄρεως τῶν Ἀμαζόνων προηγούμεναι τῆς στρατείας,* eius scilicet, in qua Priamus Phrygibus contra Amazones auxilio venerat. Apud Iustinum l. l. duae Antiopae sorores, Hippolyte a Theseo, Melanippe ab Hercule capiuntur.

2) Hyg. f. CCXLI, Ovid. Her. 4, 117 ss., Senec. Phaedr. 227, 927.

3) Pausan. I 2, 1, *ἔνιοι* apud Plutarchum 27, 11, Herodorus apud Tzetz. in Lyc. 1332 (*ὑπὸ Μολπίδος*). Diodorus IV 28, quem propter Cimmerii Bospori mentionem Hellanicum (Plut. 27, 3) adhibuisse conieceris, nomen eius, qui Antiopen a Thesei parte dimicantem interfecerat, omisit.

nuptiis erant. Cui versioni non repugnaret, quod tertio loco epitomator eam a Thesei comitibus interemptam esse profert. Ceterum haec historia paulo accuratius descripta — nam portis subito clausis eam interceptam esse addit — adhuc ignota erat. De Penthesilea, quam primo loco affert epitoma, suo loco erit disserendum; de Theseo uxoris percussore modo vidimus. Ex hac relationum varietate cognoscimus hanc quoque fabulam, quam commenticiam atque obsoletam esse iudicabat Plutarchus, quondam multis modis excultam esse; neque dubium est, quin haec adnotatio ab Apollodoro non ex compendio, sed ex reconditiore quodam scrinio in lucem protracta sit.

2. Hippolyti mortis enarrationi fontem poeticum eumque tragicum subiectum esse elucet ex accurata descriptione insidiarum, quas Phaedra Hippolyto struxerat, praecipue si comparas brevem formulam, qua ceterum Apollodorus tales mulierum libidinosarum calumnias solet absolvere[1]). Quaerentes autem, quam tragoediam imitatus sit, in mediam incurrimus celeberrimam quaestionem de Euripidis Hippolytis et Sophoclis Phaedra, de qua pauca verba facere non possumus supersedere. Namque servatam Euripidis fabulam hic non expressam esse quivis statim perspicit. In hac enim neque ipsa Phaedra scelestum amorem privigno suo confitetur, neque post mortem demum adulescentis manum sibi infert. Contra utrumque invenimus in Senecae Phaedra: hanc autem maxima ex parte ab Euripidis Hippolyto Velato manavisse primus Valckenarius rectissime divinavit, quem accita praeterea quarta Ovidii Heroide secuti sunt recentiores huius fabulae sospitatores[2]). Cum hac igitur tragoedia Apollodori narrationem aptissime conferemus. Nam Sophoclis Phaedra, cuius de actione nunc, refutatis Welckeri divinationibus, paucissima scimus

1) II 3. 1, 2 *τοῦ δὲ* (sc. *Βελλεροφόντου*) *ἀπαρνουμένου λέγει πρὸς Προῖτον, ὅτι Βελλεροφόντης αὐτῇ περὶ φθορᾶς προσεπέμψατο λόγους*; III 13. 8, 3 *καταψευσαμένης φθορὰν Φθίας τῆς τοῦ πατρὸς παλλακίδος*; ep. XVII 10 *καὶ μὴ πείθουσα καταψεύδεται πρὸς Κύκνον αὐτοῦ φθοράν.*

2) Wilamowitz, Analecta Euripidea p. 154 et 209 s., Leo, Observationes in Senecam p. 173—183. A. Kalkmann, De Hippolytis Euripideis quaestiones novae (1882), in primis p. 24—55.

(Kalkmann p. 44 s.), propterea in censuram venire nequit, quod eius mores non tam foedos fuisse, quam describuntur in Euripidis priore fabula atque in bibliotheca, post Leonis opinationem (p. 174) ex Aristophanis silentio (Ran. 1043 ss.) Kalkmannus sagaciter conclusit.

De scaena nihil adnotat Apollodorus, unde sequitur eam non Troezene, ut in Coronifero, sed Athenis fuisse, quod etiam de Velato evicit Kalkmannus (p. 26). Nutricis, cui Euripides, postquam abiecta Phaedrae nequitia spectatoribus valde displicuit, impudicae stimulatricis partes tribuerat, ne mentio quidem fit, sed ipsa Phaedra, ut est proterva atque lasciva, castum adulescentem in stuprum illicere audet. Atque huius scaenae exitus tam vivide a mythographo depingitur, ut ex hac brevi adumbratione tragicum spiritum aperte profitente perditae tragoediae imaginem qualem nobis finxeramus, ni fallor, haud mediocriter augere atque emendare contingat. Phaedra enim, postquam Hippolytus turpissimas vitiorum illecebras celeri fuga vitavit, vehementi timore perculsa, ne privignus foedi novercae amoris patrem conscium faceret, eum perdere constituit, atque, quasi ne scelestus reverteretur metueret, portas claudi iubet scissaque veste ficti criminis indicia apparat. Contra apud Senecam (v. 704—735) paulo aliter res agitur: Hippolytus, cum Phaedrae amplexus a se amovere nequeat, gladium stringit ac Phaedrae caput crine contorto reflectit quasi eam necaturus; haec autem suadente nutrice (quod velim animadvertas) gladio ab Hippolyto relicto crinibusque laceris utitur, ut simulati sceleris evidenter eum coarguat. Vides eodem utrumque tendere, sed diversa via; restat igitur, ut videamus, utram rationem aptius Euripidi adscribamus. Vix ausim hanc quaestionem attingere intuitus confidentiam Kalkmanni (p. 36) sic de hac Senecae scaena iudicantis: 'His omnibus Musam vere tragicam et Graeco poeta dignam adspirasse vel is, qui sensibus alienatus est, sentire debet.' Attamen libere profiteor talem eventum meo iudicio ab huius potissimum fabulae eiusque personarum indole longe abesse. Non enim crediderim eum adulescentem, cuius mores hoc uno momento, quod ad foedam novercae confessionem nullum verbum proloqui

posset, sed caput pudore obvolveret, tam praeclare omnibus indicari videbantur, ut totius tragoediae titulus inde peteretur, in eiusdem scaenae fine eo saevitiae progressum esse, ut ensem in matrem stringeret. Contra de Phaedra si vere testantur[1]) Euripidem, cum huius personae naturam adumbraret, quasi helluatum esse in effrenatis mulierum libidinibus vitiisque depingendis, iure exspectaveris, etiam insidiarum Hippolyto struendarum inventricem ipsam fuisse, quod cadit in nostram narrationem, non nutricem, ut apud Senecam, ubi Phaedra huius consilii revera omnino expers est. Tam cito enim famula callida (quae eas partes potius hic sibi adsumit, quas obtinet in Euripidis Coronifero) ex intricato rerum statu lucratur falsam innocentis adulescentis criminationem, ut erae, quae modo eam tantum furoris sanationem sibi exoptaverat, ut ipsa Hippolyti manibus immoreretur (v. 710 ss.), ne tempus quidem relinquatur uno verbo significandi, num probet nutricis male sedulae praecipites machinationes. Haec omnia vides multo minus ad Velati indolem, qualem fuisse inter viros doctos constat, quadrare, quam ea, quae breviter atque distincte narrat Apollodorus. Itaque vereor, ne Seneca (nisi forte in alia quadam Euripidis fabula strictus ensis calumniarum causa parata erat) hosce colores suo ex lecythio talibus subsidiis abundante Euripidis arti addiderit, quibus haud dubie huius scaenae effectum tragicum mirum quantum exaggerasse sibi visus est.

Theseum deinde inducit Seneca ex Tartaro redeuntem; Apollodorus non item. Quam differentiam facile sic explicaveris, ut scriptori, qui Thesei descensum ad inferos infra enarraturus erat, hunc reditum, ne deleret rerum continuitatem, silentio praetereundum fuisse statuas. At ex Apollodori verbis *Φαίδρα δείσασα μὴ τῷ πατρὶ διαβάλῃ*, quae sensu carerent, si Theseum Tartaro inclusum esse sciremus, evincitur hoc remedium non sufficere. Atqui haec verba Apollodorum non

1) conf. vitam Eurip. in Westermanni Biogr. p. 137, 89: *λέγουσι δ' αὐτὸν γήμαντα τὴν Μνησιλόχου θυγατέρα Χοιρίνην καὶ νοήσαντα τὴν ἀκολασίαν αὐτῆς γράψαι δρᾶμα τὸν πρότερον Ἱππόλυτον, ἐν ᾧ τὴν ἀναισχυντίαν θριαμβεύει τῶν γυναικῶν*, Arg. Eur. Hipp. *τὸ γὰρ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον ἐν τούτῳ διώρθωται τῷ δράματι.*

de suo adiecisse sed ex fonte suo transtulisse, collato schol. Hom. λ 321, quod infra afferemus, apparet. Ergo, si recte Euripidis vestigia in mythographi relatione agnovimus, nulla restat dubitatio, quin reditus ille Thesei a priore Euripidis fabula alienus fuerit, cui eum recentiores critici ex Wilamowitzii coniectura (l. l. p. 209 s.) tribuerant. Nam quod Plutarchus (de audiend. poet. M. p. 27 f.) memoriae tradiderat Phaedram ab Euripide inductam esse *προσεγκαλοῦσαν τῷ Θησεῖ, ὡς διὰ τὰς ἐκείνου παρανομίας ἐρασθεῖσαν τοῦ Ἱππολύτου*, comparavit vir doctissimus cum Ov. Her. 4, 109 s., ubi Theseum cum Pirithoo abesse diuque afuturum esse memoratur, atque Senecae fabula, in qua iam ex primis Phaedrae verbis (v. 91 ss.) Theseum per Tartari tenebras migrare comperimus. Quod non sine magna veritatis specie propositum esse concedo: certum non est. Nonne enim satis multae praeterea enumerari poterant Thesei *παρανομίαι*, ac profecto enumerantur? Sic ipsi Ovidii versus nihil nisi initium sunt exemplorum, qualem fidem, ut Senecae verbis utar (v. 91 s.), nuptae Theseus praestare soleat. Ex quibus prae ceteris soror praeda relicta feris (Ov. 116) Phaedrae obversari debebat, neque deest Antiopae mors, quam ipsius mariti manibus apud Euripidem perpetratam esse ex Senecae et Ovidii consensu[1]) elucet. Itaque primum teneamus in ipsis fabulae fragmentis — viginti nobis servata sunt — nullam huius itineris mentionem inclusam esse, postquam Leo[2]) fragmentum 443 verba Thesei ab inferis redeuntis non continere optime perspexit. Deinde animadvertas quaeso, quam aegre haec Thesei absentia cum tota actionis implicatione queat consociari. Omnes enim quas descripsimus nutricis machinationes eo tendunt, ut Hippolytus quasi flagranti crimine deprehendatur. Itaque tota huius scaenae vis tragica gravissime labefactaretur, si Theseum sciremus eo profectum, unde exitus nemini mortalium patebat.

Itaque non ab Euripide, sed a Sophocle hoc Thesei iter certam ob causam cum Phaedrae lamentabili fato coniunc-

1) Sen. 227 experta saevam est barbara Antiope manum, Ov. 119 si quaeras, ubi sit: Theseus latus ense peregit.

2) Observ. in Senec. p. 179, quocum conferas Kalkmannum p. 37.

tum esse arbitror. Nam cum mihi cum Leone (p. 174) et Kalkmanno (p. 144 s.) persuasum sit Phaedram non tam protervam atque libidinosam a Sophocle, quam ab Euripide in Velato, propositam esse, suavissimus poeta eo fortasse nefasti amoris culpam si non excusare, tamen explicare et quodam modo mitigare volebat, quod uxorem in scaenam introduxit desertam a marito, qui temerarie eo processerat, unde eum unquam rediturum esse nulla spes relicta erat. Ac profecto Sophoclis arti hoc deberi indicatur fragmento 625:

ἔσαινεν οὐρᾷ νῶτα κυλλαίνων κάτω,

quod etiamsi de cane quodam venatico dici potuit, ut Welckerus opinatus erat, tamen multo melius a Leone (p. 179) ad Cerberum revocatur, sive perdomitum ab Hercule, quae est Leonis sententia, sive subdola bestia Theseum Pirithoumque Plutonis regna intrantes suo more[1]) caudam blande movens salutaverat. Quae si recte disputavimus, statuendum erit Senecam, ut solito more rerum copiam atque effectum tragicum coacervaret, hanc partem Phaedrae Sophocleae in Euripidis Hippolytum Velatum inculcavisse, non sentientem prorsus incongrua ac paene pugnantia se miscere.

Pauca addo de fabulae exitu, quem paulo aliter formatum fuisse, quam adhuc credebamus, veri simile est. Phaedra enim tum demum mortem sibi conscivisse videtur, cum non modo nuntius Hippolyti mortis allatus esset, verum etiam Theseus scelus ab uxore commissum comperisset, quod optime ad huius Phaedrae atrocitatem quadrat. Quis taeterrimam fraudem detexerit, nullo testimonio scripto constat. Cogitaverit quispiam de ipso Hippolyto, qui fortasse immoriens in scaenam elatus est. Multo aptius, arbitror, ad sarcophagum Parisiis exstantem[2]) provocabimus, in qua ex felici Kalkmanni explicatione Phaedrae nutricem et Hippolyti paedagogum coram Theseo altercantes adspicimus. Cuius affirmationibus in fine Dianam fidem atque auctoritatem divinam addidisse probabile est.

---

1) Hes. Theog. 770: *ἐς μὲν ἰόντας*
σαίνει ὁμῶς οὐρῇ τε καὶ οὔασιν ἀμφοτέροισιν.

2) v. Kalkmannum l. l. p. 38 s.

3. Restat, ut fontem ab Apollodoro adhibitum indagare studeamus. Atque nunc excitandum est testimonium Schol. Hom. λ 321, quod afferre in antecedenti quaestione consulto evitavi. Verba, quae integra exscribere oportet, haec sunt: *Θησεὺς ὁ Αἰγέως, ἔχων παῖδα Ἱππόλυτον ἐξ Ἀμαζόνος Ἀντιόπης, ἔγημε Φαίδραν τὴν Μίνωος θυγατέρα τοῦ τῶν Κρητῶν βασιλέως. εὐλαβούμενος δὲ μητρυιᾶς ἐπιβουλὴν πέμπει ἐξ Ἀθηνῶν τὸν υἱὸν Ἱππόλυτον Τροιζηνίων ἄρχειν· ἦν γὰρ αὐτῷ διὰ τὴν Πιτθέως Αἴθραν μητρῴα τις ἀρχὴ δεῦρο. Φαίδρα δὲ ἐρωτικῶς διατεθεῖσα τοῦ Ἱππολύτου σφοδρῶς ἐπ' αὐτῷ τηκομένη τὸ μὲν πρῶτον ἱερὸν Ἀφροδίτης ἐν Ἀθήναις ἱδρύσατο τὸ νῦν Ἱππολύτειον καλούμενον. εἰς Τροιζῆνα δὲ ὕστερον παραγενομένη διενοεῖτο πείθειν τὸν νεανίσκον, ὅπως αὐτῇ μιγείη. χαλεπῶς δ' ἐκείνου προσδεξαμένου τὸν λόγον, λέγεται φοβηθεῖσαν*[1]) *αὐτὴν ἀντιστρέψαι τὴν αἰτίαν καὶ πρὸς Θησέα διαβάλλειν, ὡς Ἱππολύτου πείθοντος αὐτήν. ὁ δὲ τριῶν, ὥς φασιν, αὐτῷ παρὰ τοῦ Ποσειδῶνος εὐχῶν εἶναι ὡμολόγησεν*[2]), *ὅ τι ἂν εὔξηται συντελέσειν, πιστεύσας τῇ Φαίδρᾳ μίαν τούτων ᾐτήσατο παρ' αὐτοῦ τὸν τοῦ παιδὸς ὄλεθρον. ἐκεῖνον μὲν οὖν ὁμολογοῦσι τὸ ἅρμα γυμνάζοντα, παραφανέντος ἐξαίφνης ἀπὸ τῆς θαλάσσης ταύρου καὶ ταραχθέντων τῶν ἵππων ἑλκόμενον ἀποθανεῖν. τὴν δὲ Φαίδραν φανερῶς γενομένης τῆς διαβολῆς ἀπάγξασθαι. ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Ἀσκληπιάδῃ* [frg. 24 M.]. Huius narrationis partem posteriorem inde a verbis *διενοεῖτο πείθειν* artissime cum Apollodoro cohaerere nemo non videt, et ita quidem, ut coniunctis eis quae in hac et illa accuratius exposita sunt (Phaedrae machinas dico et tria Thesei vota) satis ampla totius facti historia efficiatur.

At si docti Tragodumenorum scriptoris auctoritatem grato animo amplexurus es, ecce evolat e conspectu atque evanescit. Nam mira sagacitate viri docti, fallacitatem subscriptionum quae in scholiis Homericis leguntur demonstraturi[3]), hoc quo-

1) Haec Barnesii emendatio traditae scripturae *βοηθεῖσαν* nunc excerptis nostris egregie confirmatur.

2) 'Sensus requirit *οὐσῶν ὁμολογήσαντος*.' Buttmannus.

3) Schwartz, De scholiis Hom. ad hist. fab. pertinentibus, in Fleckeiseni ann. Suppl. XII p. 403—463 (v. p. 452), Kalkmann, l. l. p. 46 s.

que fragmentum certatim discerpserunt. Quo magis iuvat epitomae nostrae thesauris memoriae Asclepiadis subvenire; tu vero, quae exponam, opinione non praeoccupata perpendas. Deprendimus apud Apollodorum aperta tragoediae Euripideae vestigia atque unius in primis scaenae tam vividam imaginem elicuimus, ut iam non narrari sed ipsorum ante oculos agi res videretur. Circumspicientibus autem, unde hanc versionem tragicam mythographus hauserit, offertur haec scholiastae narratio, in qua illius quoque scaenae descriptionem quondam infuisse ex reliqua utriusque relationis similitudine certo concluditur. Atque huic scholio eiusdem fabularum tragicarum sospitatoris nomen subscriptum est, quem vel sine certo quodam testimonio excitare ausi essemus. Quid igitur impedit, quominus hanc fidem suspicioni iam pridem ortae peropportune additam libenter accipiamus atque genuinam hanc subscriptionem esse censeamus?

Sic optime muniti atque accincti nunc ipsum Asclepiadis fragmentum adeamus, ut disiecta novi Hippolyti membra colligamus. Primum verba de templo Veneri Athenis consecrato et de Phaedrae itinere ex servatae fabulae Euripideae versibus 29—36 expressa esse Kalkmannus (p. 46 s.) contendit, et recte id quidem. Sed quid miraris? Unde enim nisi ex tragoediis Tragodumenorum auctorem maximam fabularum partem putas derivasse? Deinde statuit scholii auctorem, Euripidis fabulam sedulo perscrutatum, versum 1310: ἡ δ᾽ εἰς ἔλεγχον μὴ πέσῃ φοβουμένη sibi elegisse, unde eliceret verba λέγεται φοβηθεῖσαν αὐτὴν κτλ. In hac autem sententia nunc, cum Apollodorum tenemus, vix perseverabit vir sagacissimus. Attamen restat difficultas posita in utriusque fabulae Euripideae memoria a scholiasta permixta; quam ex scholio, quale legitur in libris Homericis, tolli non posse libenter concedo. Sed nobis cum Asclepiade res est, non cum Homeri commentatoribus. Asclepiades autem, ut per se veri est simillimum atque insuper Apollodori verbis comprobatur, multo uberiorem huius fabulae enarrationem proposuit, in qua ne versionum quidem varietatem[1]) defuisse inde elucet, quod de ratione qua interierit Hippolytus[2])

1) conf. p. 149 adn. 1 et Cur. myth. § 25, 2.

2) Nam quod cum verbo ὁμολογοῦσι etiam ea coniuncta sunt, quae

inter omnes constare (*ἐκεῖνον μὲν οὖν ὁμολογοῦσι κτλ.*) diserte testatur. Asclepiades igitur utriusque fabulae argumentum explanaverat, scholiographus autem ex docta illius expositione unam atque continuam historiolam sic fortasse conflavit, ut eius initium statim cum fine conecteret. — Ergo nobis tenendum est, quod iam Robertus[1]) suspicatus erat, **Apollodorum Asclepiadis Tragodumena exhausisse**, non tam quia semel bisve eius nomen in bibliotheca reperitur, quam propter copiam electarum atque singularium versionum tragicarum; quae si compendio usitatissimo inclusae omnium in manibus fuissent, non soli Apollodoro earum notitiam deberemus.

§ 7.

[CENTAUROMACHIA.] IXION. CAENEUS.

(cap. IV et V.)

Ex sequenti bibliothecae parte exigua tantum frustula in epitoma servata sunt. Eo felicius accidit, quod Zenobii codices (V 33), cuius interpolator uberiores historias (in codice B omissas) proverbiorum explicationibus ex Apollodoro adiecit, haud spernendum auctoris nostri fragmentum de Centaurorum cum Lapithis pugna[2]) perhibent, quod hanc ob causam textui adscribendum curavi. Antea haud dubie de Pirithoi genealogia nobilisque cum Theseo amicitiae initiis (conf. Plut. Thes. c. 30) expositum erat. In hac autem parte Ixionis, Pirithoi patris, fatum excerptorem allexit; ex illa pugna, quae de Caenei mutata forma eiusque morte invenerat, recepit, similiter atque ex copiosa descriptione belli septem ducum contra Thebanos nihil nisi miram fabulam de Tiresiae divinationis origine exscripsit.

de Phaedrae morte sequuntur (*τὴν δὲ Φαίδραν κτλ.*), haud dubie scholiographi socordiae tribuendum est.

1) De Apollodori bibliotheca p. 72 ss.

2) conf. Robertum l. l. p. 49. Vere Apollodoream hanc narrationem esse etiam ex stilo apparet. Sic formulas *ἐπεχείρουν βιάζεσθαι* et *μάχην συνῆψε* mythographus in deliciis habet, ac verba *οἴνου ἀφειδῶς ἐμφορησάμενοι* comparaverim cum III 14. 7, 2 *γευσάμενοι τοῦ ποτοῦ καὶ χωρὶς ὕδατος δι' ἡδονὴν ἀφειδῶς ἑλκύσαντες.*

De Ixione in scholiis multae narrationes circumferuntur[1]), quae rerum non modo sed etiam verborum consensu tam varie inter se colligatae sunt, ut de uno eodemque omnium fonte vix ulla restet dubitatio. Ab Apollodori verbis proxime abest brevis enarratio Schol. Hom. *Α* 268: *Ἰξίων ὁ Φλεγύου παῖς Δίαν τὴν Δηιονέως γήμας ἐλθόντα τὸν κηδεστὴν ἐπὶ τὰ ἕδνα δόλῳ καταπρήσας, μανεὶς καὶ ὑπὸ θεῶν καθαρθεὶς τὸν φόνον, Ἥρας ὕστερον ἠράσθη. Ζεὺς δὲ βουλόμενος αὐτὸν δοκιμάσαι, εἰ τῷ ὄντι τολμᾷ ποιῆσαι τοῦτο, νεφέλην ἀπεικάσας Ἥρᾳ, παρέκλινεν αὐτῷ. ὁ δὲ μιγεὶς τῇ νεφέλῃ, ὡσανεὶ τῇ Ἥρᾳ ἔσχε παῖδα Κένταυρον, ἀφ' οὗ τὸ τῶν Κενταύρων γένος. μετὰ δὲ θάνατον ἔλαβε δίκας παρ' αὐτοῦ ὁ Ζεὺς ποιήσας αὐτὸν ἐν τοῖς καταχθονίοις στρέφεσθαι μετὰ πολλῆς βίας ἐπὶ τροχοῦ σιδηροῦ.* In aliis testimoniis paulo uberius de priore Ixionis scelere refertur; quod, cum semper fere cum posterioris memoria coniunctum videatur, ne in bibliotheca quidem praetermissum esse arbitror. Iam scholii Homerici verbis *Ζεὺς δὲ βουλόμενος αὐτὸν δοκιμάσαι, εἰ τῷ ὄντι τολμᾷ ποιῆσαι τοῦτο* apte illustrantur, quae in brevius contraxit Schol. Luc. Dial. D. 6. p. 216 R. (citatum a Schwartzio Schol. Eurip. I p. 375) *ὁ δὲ δοκιμάζων*[2]) *αὐτὸν ἀπείκασε ...*; hoc autem scholium paene verbum ex verbo congruit cum testimonio Schol. Eur. Phoen. 1185. Conferas praeterea Schol. Luc. *ἀφῆκε φέρεσθαι διὰ ἀέρος* et Schol. Eur. *ἀφῆκε τῷ ἀέρι φέρεσθαι* cum Apollod. *ὑφ' οὗ φερόμενος διὰ πνευμάτων ἐν αἰθέρι.* Etiam Centauri vel Centaurorum origo ubique fere cum Ixionis scelere coniungitur. Neque Diodorus (IV 69) aut Hyginus (f. LXII) ab hac fabulae forma recedunt, ut hoc si quo loco ex singulorum testimoniorum frustulis, quorum alia alias fabulae partes aut breviter tetigerunt, aut uberius descripserunt, totius fabulae planam continuam absolutam historiam

1) Schol. Hom. *Α* 268, *φ* 303, Eurip. Phoen. 1185, Pind. Pyth. II 40, Luc. Dial. D. p. 216 R., Serv. in Verg. Aen. VI 286 et 601, Nonni narrat. ad Greg. invect. (Westerm. Mythogr. Graec. p. 386).

2) Contra de verbo *γνῶναι* convenit inter Apollodorum (*γνῶναι θέλων ὁ Ζεύς, εἰ οὕτως ἔχει τὸ πρᾶγμα*) et Schol. Eurip. (*ὁ Ζεὺς βουλόμενός τε γνῶναι, εἴ γε ἀληθές ἐστιν*).

restituere contingat, quae ex communi quodam fonte in diversos rivulos defluxit.

Sola igitur restat quaestio de auctore huius versionis, quam uno verbo absolvere liceret, dummodo de Pherecydis[1]) fr. 103 (Schol. Apoll. Rhod. III 62) constaret. Hoc enim fragmentum cum reliquis testimoniis optime congruit (confer verba *ὁ δὲ Ζεὺς νεφέλην ὁμοιώσας Ἥρᾳ παρακοιμίζει αὐτῷ*), atque prioris potissimum partis formam uberiorem eamque genuinam servavit. At huius scholii initium misere corruptum est: *Φλεγύου δὲ υἱὸς Ἰξίων, ὡς καὶ Εὐριπίδης 'Φλεγύαντος υἱέ, δέσποτ' Ἰξίων'. Φερεκύδης δὲ αἴτωνος* (l. *Ἀντίονος*). Nam cum ex Schol. Pind. Pyth. 2, 40 apud Pherecydem Pisionem, apud Aeschylum autem Antionem Ixionis patrem fuisse constet, aut pro corrupta voce *αἴτωνος* non quod leni mutatione restitueris *Ἀντίωνος*, sed *Πεισίωνος* refingendum est, aut, cum diversas genealogias a Pherecyde in medium prolatas esse mihi quidem non tam probabile videatur quam Muellero (FHG I p. 96), cum Wesselingio (ad Diod. IV 69) scribendum est *Φερεκύδης δὲ ⟨Πεισίωνος*[2]*), Αἰσχύλος⟩ Ἀντίωνος*. Quod si certum esset, etiam sequentia verba *φησὶ δέ, ὡς γαμήσας Δίαν κτλ.*, a quibus narratio incipit, ad Aeschylum respicerent.

Sed cum huius loci sanatio non satis ad liquidum perduci possit, interim mittamus auctoris nomen, quod evidenter erui nequeat, atque ipsam narrationem examinemus. In hac enim praecipue verba schol. Apoll. cum emphasi quadam prolata: *καὶ οὐδεὶς αὐτὸν ἤθελεν ἁγνίσαι οὔτε θεῶν οὔτε ἀνθρώπων· πρῶτος γὰρ ἐμφύλιον ἄνδρα ἀπέκτεινεν*, ad Pherecydis simplicem stilum minus quadrant et poetam potius, quam historicum scriptorem vetustioris aevi redolent. Quae suspicio valde augetur, si intuemur totius fabulae finem, qualis accedit ex scholio Euripideo: *ὀργισθεὶς δὲ ὁ Ζεὺς ὑποπτέρῳ τροχῷ τὸν Ἰξίονα*

---

1) Pherecydem Ixionis insaniam enarrasse scimus praeterea ex Asclepiadis verbis (fr. 5): *προσιστοροῦσι δὲ ἔνιοι, ὡς καὶ μανείη ὁ Ἰξίων, ὡς καὶ Φερεκύδης, καὶ τὴν ἐπὶ τοῦ τροχοῦ δὲ κόλασιν αὐτῷ παρεγκεχειρήκασι· ὑπὸ γὰρ δίνης καὶ θυέλλης αὐτὸν ἐξαρπασθέντα φθαρῆναί φασιν.*

2) Wesselingius proposuerat *Πείσωνος*, sed in schol. Pind. legitur *Πεισίωνος* (v. Keilii adn. in Schol. Apoll. Rhod. III 62).

δήσας ἀφῆκε τῷ ἀέρι φέρεσθαι μαστιζόμενον καὶ λέγοντα· χρὴ τιμᾶν τοὺς εὐεργέτας. Quod si forte tamquam huius scholiastae additamentum a propria fabulae forma alienum iudicaveris, animum attendas (praeter schol. Luc., quod omni ex parte cum hoc consentit) ad schol. Hom. φ 303 βοῶντα, ὡς τοὺς εὐεργέτας ἀμείβεσθαι προσῆκεν. Unde autem hoc adagium arcessiverint, etiamsi non **Pindari** auctoritas huic scholio subscripta esset, statim cognosceremus ex servatis Pindari versibus Pyth. 2, 21 (40) ss.:

θεῶν δ' ἐφετμαῖς Ἰξίονα φαντὶ ταῦτα βροτοῖς
λέγειν ἐν πτερόεντι τροχῷ
παντᾷ κυλινδόμενον·
τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι.

Quid quod ex eodem Pindari carmine etiam verba Schol. Apoll. Rhod. supra exscripta, quae Pherecydis vix esse iam perspexeramus, aperte repetita sunt? v. 31 s.

τὸ μὲν ἥρως ὅτι
ἐμφύλιον αἷμα πρώτιστος οὐκ ἄτερ τέχνας ἐπέμιξε θνατοῖς.

Conferas praeterea eiusdem scholii ultima verba: καὶ ὕστερον ποιήσας τετράκνημον τροχὸν καὶ δεσμεύσας αὐτὸν τιμωρεῖται cum v. 40:

τὸν δὲ τετράκναμον ἔπραξε δεσμόν,

neque desideratur apud Pindarum (v. 42 ss.) procreatio Centauri. Ubique igitur Pindari vestigia deteximus neque ulla relinquitur dubitatio, quin hunc ducem auctor narrationis ab omnibus testimoniis nostris adhibitae secutus sit. Nec vero tota fabula a Pindaro potuit manare; namque insidiae antea ab Ixione tam artificiose socero paratae, quae in scholiis nec non a Diodoro fusius explicantur, quaeque etiam in bibliotheca quondam exstitisse suspicati eramus, leviter tantum a Pindaro in versibus modo allatis perstringuntur.

Unde autem hanc priorem narrationis partem derivemus, mera in coniectura positum est. Atque haud scio, an quaedam indicia originis tragicae possint indagari. Primum enim praeter tragicos poetas, Aeschylum et Euripidem et Timesitheum (Welcker, Trag. III p. 1046), nullum novi antiquiorem poetam,

qui uberius hanc fabulam tractaverit. Sic etiam Asclepiades, a quo multa in bibliothecam translata sunt, Ixionis fabulam exposuit, quamquam ex misera eius adnotatiuncula ex tertio Tragodumenorum libro servata[1]) concludi nequit, quomodo ipsam rem narraverit. Deinde recordemur Wesselingii coniecturam haud spernendam; quae si acu rem tetigit, de narrationis nostrae auctoritate Aeschylea non iam dubitare licet. Denique, ni fallor, paucae quaedam versuum tragicorum reliquiae adhuc inhaerent in verbis Apollodori *διὰ πνευμάτων ἐν αἰθέρι* et schol. Apoll. Rhod. *σκεπάζει αὐτὸ λεπτοῖς ξύλοις καὶ κόνει λεπτῇ* (l. *αὐτὸ ξύλοις λεπτοῖσι καὶ λεπτῇ κόνει*). Quae cum ita sint, ea cum probabilitatis specie, in qua talia enucleantes saepius acquiescere debemus, suspicari audemus eam fabulae formam, quam ante oculos habebant Apollodorus Diodorus scholiographi, conflatam esse ex Pindari verbis et argumento Ixionis Aeschyleae.

Unde C a e n e i mutatam formam, de qua multus est Ovidius (Met. XII 189—208), exscripserit Apollodorus non adsequor. Nam etiamsi non desint scholiorum testimonia[2]), quae cum bibliothecae verbis congruant, tamen vetustiorum fontium memoriam nusquam inveni, nisi forte tibi contingit aliquid elicere ex mira auctorum turba apud Phleg. Mir. 5 *οἱ αὐτοὶ* (scil. *Ἡσίοδος καὶ Δικαίαρχος* [fr. 30. M.] *καὶ Κλείταρχος καὶ Καλλίμαχος καὶ ἄλλοι τινὲς*) *ἱστοροῦσι κατὰ τὴν Λαπιθῶν χώραν γενέσθαι Ἐλάτῳ τῷ βασιλεῖ θυγατέρα ὀνομαζομένην Καινίδα κτλ.* — Ipsam Centauromachiam descripsit Pindarus fr. 166 et 167, quod, teste scholiasta etiam ab Apollonio Rhodio I 57 s. adhibitum, ad illustranda Apollodori verba *οἱ δὲ λοιποὶ περιστάντες αὐτῷ ἐλάταις τύπτοντες ἔχωσαν εἰς γῆν* adscribo:

ὁ δὲ χλωραῖς ἐλάταισι τυπεὶς
ᾤχεθ' ὑπὸ χθόνα Καινεὺς σχίσαις ὀρθῷ ποδὶ γᾶν.

1) v. p. 149 adnot. 1.

2) conf. Schol. Apoll. Rhod. I 57: *μεμύθευται δὲ ὁ Καινεὺς πρότερον γεγονέναι γυνή, εἶτα Ποσειδῶνος αὐτῇ πλησιάσαντος μεταβληθῆναι εἰς ἄνδρα· τοῦτο γὰρ ᾔτησε καὶ ἀτρωσίαν.* Schol. Hom. *Α* 264, Anton. Lib. 17, Palaeph. 11, Serv. in Verg. Aen. VI 448.

§ 8.

RAPTUS HELENAE. DESCENSUS AD INFEROS.

(cap. VI.)

Helenam a Theseo raptam esse Apollodorus iam in rebus Laconicis rettulerat III 10. 7, 4: *γενομένην δὲ αὐτὴν κάλλει διαπρεπῆ Θησεὺς ἁρπάσας εἰς Ἀθήνας ἐκόμισεν. Πολυδεύκης δὲ καὶ Κάστωρ* [*εἰς Ἀθήνας* del. Heynius] *ἐπιστρατεύσαντες ἐν Ἅιδου Θησέως ὄντος αἱροῦσι τὴν πόλιν καὶ τὴν Ἑλένην λαμβάνουσι καὶ τὴν Θησέως μητέρα Αἴθραν ἄγουσιν αἰχμάλωτον.* In quibus *εἰς Ἀφίδνας*, quod contra codicum consensum restituere Heynius iure dubitaverat, nunc teste Muellero exstat in Parisino quarto, sed a manu secunda in *Ἀθήνας* mutatum est. Cum autem Muellerus (FHG I praef. p. IV ss.) in huius libri collatione manum secundam excepto hoc loco nusquam commemoraverit, quid de eius fide statuamus, nisi codice denuo excusso diiudicari nequit: in archetypo non *Ἀφίδνας* sed *Ἀθήνας* fuisse, quidquid Parisino tribueris, apparet ex reliquorum librorum consensione cum verbis eius excerptorum capitis, quod hic tractaturi sumus: *εἶλον Ἀθήνας.* Nec vero tam breviter hanc quaestionem absolvere licet, quoniam criticus quidam sagacissimus ex cuncta huius belli memoria ipsarum Athenarum expugnationem, sive in hac potius urbe Helenam Theseus absconderat, sive Tyndaridae, cum post Aphidnam captam Atticam popularentur, quasi parergon expeditionis etiam Athenas expugnaverant, funditus evellere studuit. Quam ob rem huius coniecturae probabilitatem examinare oportet.

Totius quaestionis cardo vertitur in Alcmanis fr. 13 B., in quo Bergkius traditam scripturam *Ἀθήνας* in *Ἀφίδνας* mutavit, etiamsi de Athenarum mentione duobus testimoniis nullo modo inter se cohaerentibus constet, Paus. I 41, 4: *ὅπου καὶ Ἀλκμὰν ποιήσας ᾆσμα ἐς τοὺς Διοσκούρους, ὡς Ἀθήνας ἕλοιεν καὶ τὴν Θησέως ἀγάγοιεν μητέρα αἰχμάλωτον*[1]), *ὅμως Θησέα φησὶν αὐτὸν ἀπεῖναι*, et schol. Hom. Γ 242: *οἱ δὲ Διόσ-*

1) conf. Apollod. ep. VI: *εἶλον Ἀθήνας καὶ ἀπάγουσιν Ἑλένην καὶ μετὰ ταύτης Αἴθραν τὴν Πιτθέως αἰχμάλωτον.*

κουροι Θησέως μὴ τυχόντες, λαφυραγωγοῦσι τὰς Ἀθήνας. Non nego interdum observari hanc corruptelam, ut apparet Apollodori loco et Hyg. f. LXXIX, sed quid mirabilius accidere potuit, quam ut in hos potissimum locos, qui Alcmanis fragmentum continebant, quamquam utrobique antecedebat Aphidnae mentio, ista mutatio irreperet, praesertim cum reliquis locis, quibus apud Pausaniam Aphidna commemoratur[1]), similis mendi vestigium nullum reperiatur? Nonne quasi cum malignitate hi duo librarii conspirasse videntur in obscurandam Alcmanis memoriam? Quid quod tertium testimonium eiusdem versionis citavit Schubartus[2]) ex Cypseli arcae inscriptionibus, Paus. V 19, 3: ἐπίγραμμα δὲ ἐπ' αὐτοῖς ἔπος τε ἑξάμετρον, καὶ ὀνόματός ἐστιν ἑνὸς ἐπὶ τῷ ἑξαμέτρῳ προσθήκη·

> *Τυνδαρίδα Ἑλέναν φέρετον Αἴθραν δ' ἕλκεῖτον Ἀθάναθεν*[3]).

Tale monstrum metricum noli admirari; quanto opere enim epigrammatum poetae omnibus temporibus in personarum nominibus factisque in unius duorumve versuum ambitum cogendis haud raro frustra desudaverint, nemo nescit, qui epigrammatum thesauros frequentius adiit[4]). Atque etiam arcae titulorum scriptorem non eum fuisse, qui tantas difficultates facili opera superaret, alii quoque eius versiculi dilucide demonstrant. Itaque equidem iusta via atque ratione procedere mihi videor, cum novo hoc teste item Peloponnesiaco Alcmanis relationem fulciri agnoscam. Longe aliter sentit Bergkius, cuius ipsa verba audiamus: 'Non nego ita (ut legimus apud Pausaniam) scriptum fuisse in arca, quamquam Ἀθάναθεν fortasse ipsius Pausaniae vel eius librariorum error est; at poeta scripserat: *Τυνδαρίδα Ἑλέναν φέρετον Αἴθραν τ' Ἀφίδναθεν*, quae artifex addito verbo ἕλκετον interpolavit.' Haec legenti id

1) I 17, 5, II 22, 6, III 17, 2 (Ἀφιδναίων) et 18, 4.

2) Methodologie der Kritik p. 95 (v. Bergk. ad Alcm. fr. 13).

3) conf. etiam Luc. de salt. 40: ἡ προτέρα τῆς Ἑλένης ἁρπαγὴ καὶ ἡ στρατεία τῶν Διοσκούρων ἐπὶ τὴν πόλιν.

4) confer meas Quaest. de epigramm. Graec. ex lapid. collect. gramm. (Lips. 1883) p. 67 ss. et 85 ss.

modo quaerere liceat, unde hanc divinationem hauserit vir acutissimus. Tali argumentatione quidvis facile confirmabis!

Teneamus igitur Alcmanis aetate hanc fabulam, qualis apud Pausaniam legitur, floruisse[1]); nam quominus hanc eius formam vetustissimam fuisse censeamus, impedit ingeniosa Wilamowitzii coniectura, qui Aphidnas non Atticas, sed Laconicas proprie intellegendas esse totamque fabulam ex Peloponneso in Atticam migrasse suspicatus est. Sed ubi primum cum Theseo Troezeniorum heroe Isthmum transgressa in Atticam pervenit, quid veri similius erat, quam ad efferendam Tyndaridarum eorumque patriae gloriam Athenarum ipsarum expugnationem huius belli memoriae additam esse, ut quasi exaequaretur detrimentum, quod exercitus Peloponnesiorum Codri aetate contra Athenienses profectus accepisse ferebatur.

Neque mirabimur, quod Atheniensium scriptores atque poetae nihil antiquius habuerunt, quam ut hanc ignominiam lenirent ac denique prorsus a patria sua propellendam curarent[2]). Quod qua ratione pedetemptim effecerint, ex variis versionibus nobis servatis etiamnunc explicare contingit. Nam ut eos mittamus, qui Theseum ipsum a raptus taedio (Plut. Thes. 31, 1) aut a cladis dedecore[3]) liberaverunt, Hellanicus (fr. 74) quidem concedit totam Atticam a Tyndaridis vastatam esse, ut incertum relinquatur, num etiam Athenas ceperint; contra apud Diodorum (IV 63), Plutarchum (l. l.), alios — nam haec fabulae forma a posteritate accepta atque pervulgata est — solam Aphidnam occupant, ab Atheniensibus autem, ut est apud Plutarchum (c. 33), hospitaliter excipiuntur; tertiam denique praefert Pausanias (III 18, 4 s.), qui (*οὐχ ὡς οἱ Λακεδαιμόνιοί φασιν!*) pugnam omnino factam esse negat[4]).

1) Mecum consentire nunc video Maassium in Ind. lect. Gryphisw. 1889.

2) Unum vestigium servavit Pausanias I 17, 5: *καὶ Μενεσθέα ἐπὶ βασιλείᾳ κατήγαγον*, quod nisi Athenis captis perficere non poterant.

3) Nam cum Hereas (Plut. 32, 9) ex vetere carmine epico Theseum ipsi pugnae interfuisse afferat, eum tunc temporum iam in Tartarum profectum esse inter recentiores constat: *οὐ μὴν εἰκὸς Θησέως παρόντος ἁλῶναι τήν τε μητέρα καὶ τὰς Ἀφίδνας.*

4) Inverso ordine mythopoeia Attica, ut augeret Thesei gloriam, processit in Supplicum fabula excolenda. Proprie enim Thesei memoria cum

Sed ut redeat unde deflexit oratio, postquam inter epitomae narrationem ac servatae bibliothecae verba nullam differentiam intercedere cognovimus, num quid de fontibus ab Apollodoro adhibitis enucleari queat, videamus. Atque iam prima epitomae verba: *ὅτι Θησεὺς Πειρίθῳ συνθέμενος Διὸς θυγατέρας γαμῆσαι*, optime congruunt cum initio narrationis Hellanici (fr. 74) Schol. Hom. Γ 144: *ὡς γὰρ ἱστορεῖ Ἑλλάνικος, Πειρίθους καὶ Θησεύς, ὁ μὲν Διὸς ὤν, ὁ δὲ Ποσειδῶνος, συνέθεντο γαμῆσαι Διὸς θυγατέρας. καὶ ἁρπάσαντες τὴν Ἑλένην κομιδῇ νέαν παρατίθενται εἰς Ἄφιδναν τῆς Ἀττικῆς Αἴθρῃ τῇ Πιτθέως μὲν θυγατρί, μητρὶ δὲ Θησέως. οὕτως εἰς Ἅιδου παραγίγνονται ἐπὶ τὴν Περσεφόνην. οἱ δὲ Διόσκουροι, μὴ ἀπολαμβάνοντες τὴν ἀδελφὴν τὴν Ἀττικὴν πορθοῦσιν, Αἴθραν δὲ αἰχμαλωτίζουσι.* Nemo hunc rerum ac verborum consensum casui tribuet. Num vero ipsum bellum Hellanicus similiter atque Apollodorus enarraverit, ex paucis scholiastae verbis elici nequit neque veri simile est propter Aphidnae mentionem. Accedit aperta discrepantia ex Tzetzae adnotatione in Lycophr. v. 515: *ἡρπάγη ὑπὸ Θησέως ἑπταετὴς οὖσα, ὥς φησιν Ἑλλάνικος*; nam apud Apollodorum duodecim annos nata (decem apud Diodorum IV 63) inducitur. Narratio igitur a bibliothecae auctore exscripta ex compluribus versionibus consuta esse videtur.

Descensum in Tartarum ex uberiore quadam fabulae relatione haustum esse apparet. Nusquam enim alibi tam accurate describitur Theseum et Pirithoum, postquam ad inferos pervenerunt, ad epulas dolose invitatos atque sic, cum in Lethes throno consedissent, deceptos vinctosque esse. Atque satis antiquum hunc fontem fuisse inde concludo, quod ex hoc *Λήθης*[1]) *θρόνῳ* cognoscimus Lethen nondum recentiorum more in fontem transmutatam esse. Ab hac enim vulgari notione

sepultura ducum apud Thebas occisorum omnino non cohaesit, deinde (in Aeschyli Eleusiniis et apud Philochorum) Theseus Thebanis persuasit, ut indutias facerent, denique (apud Euripidem) in armis contra Thebanos profectus proelio acerrimo eos corpora mortuorum tumulis condenda tradere coegit (v. Plut. c. 29).

1) conf. Hor. C. IV 7, 27: 'Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro vincula Pirithoo.'

aliena sunt vetustiora testimonia anonymi poetae scaenici apud Plutarchum (consol. ad Apollon. M. p. 110) *ἅπαντες Ἅιδαν ἦλθον καὶ Λάθας δόμους* (conf. Quint. Smyrn. XIV 167 *μέλας δόμος Λήθης* et Diod. I 96, 9 *πύλας Κωκυτοῦ καὶ Λήθης*), et *Λήθης πεδίον* Aristoph. ran. 186, Plat. de rep. X 621 A. Ac fortasse fontis ab Apollodoro adhibiti naturam paulo accuratius perspicere contingit. Perpendenti enim epitomae verba *ἐξαπατᾶται καὶ ὡς ξενίων μεταληψομένους πρῶτον ἐν τῷ τῆς Λήθης εἶπε καθεσθῆναι θρόνῳ, ᾧ προσφυέντες σπείραις δρακόντων κατείχοντο*, etiam atque etiam mihi orta est suspicio non casu accidisse, quod aliqua ex parte cum antiquissimo fere huius fabulae testimonio — omitto versum Homeri λ 631[1]) — congruunt, Panyassidis dico fr. 9 K. (Paus. X 29, 9): *Πανύασις δὲ ἐποίησεν, ὡς Θησεὺς καὶ Πειρίθους ἐπὶ τῶν θρόνων παράσχοιντο σχῆμα οὐ κατὰ δεσμώτας, προσφυὲς δὲ ἀπὸ τοῦ χρωτὸς ἀντὶ δεσμῶν σφίσιν ἔφη τὴν πέτραν*. Nam serpentes (*σπείραις δρακόντων* est formula proprie Apollodorea), qui in primis a vasorum pictoribus saepius expressi sunt, auctor bibliothecae facile suo Marte addere potuit, ut suo more duas versiones simplicissima ratione inter se coniungeret.

Ne mireris, quod Panyassidem mythographi nostri auctorem excito, memineris quaeso praeter duo eius fragmenta, quae Apollodoro debemus[2]), etiam alia, quae in Herculis laboribus leguntur, optime consociari cum exilibus Panyassidis frustulis, quae temporum iniquitas nobis reliquit. Sic arcum ab heroe in Solem intentum esse (fr. 6 K.) legimus apud Apollodorum II 5. 10, 5, et quod a Nereo Herculem scyphum accepisse ille tradiderat (fr. 7), non repugnat bibliothecae verbis *ὁ δὲ τὴν ἀνδρείαν αὐτοῦ θαυμάσας χρύσεον ἔδωκε δέπας, ἐν ᾧ τὸν Ὠκεανὸν διεπέρασε*, dummodo, quod per se intellegitur, Solis iussu hoc a Nereo factum esse statuamus. Atque ad ipsa fere verba pertinet similitudo in fr. 3 de cancro: *ὅτι μόνος, Ἡρακλεῖ τῶν ἄλλων συμμαχούντων* (*τοῦ Ἰολάου συμμαχοῦντος* Galeus),

1) Huius versiculi integritatem nuper feliciter defendit Wilamowitzius Hom. Untersuch. p. 141.

2) de Triptolemo I 5. 2 = fr. 24 K. et de Adonide III 14. 4, 1 = fr. 25.

ὅτε τὴν ὕδραν ἀνῄρει, ἐκ τῆς λίμνης ἐκπηδήσας ἔδακεν αὐτοῦ τὸν πόδα, καθάπερ φησὶ Πανύασις ἐν Ἡρακλείᾳ. θυμωθεὶς δὲ ὁ Ἡρακλῆς δοκεῖ τῷ ποδὶ συνθλάσαι αὐτόν; conf. Apollod. II 5. 2, 4 *ἐπεβοήθει δὲ καρκίνος τῇ ὕδρᾳ ὑπερμεγέθης, δάκνων τὸν πόδα. διὸ τοῦτον ἀποκτείνας* . . .

Multa praeterea in laboribus ab Hercule gestis huic coniecturae favent; e. gr. Hercules hospitio a Pholo exceptus (quo fragmenta longiora 4, 12—14 pertinere coniectura est O. Muelleri, Dor. II 473), tam lepida suavitate tamque vivida perspicuitate depingitur, ut epicum poetam audire nobis videamur. Sic etiam nostri loci ea verba, a quibus hanc quaestiunculam repetiimus, non minus quam quae cum eis conectenda est liberationis descriptio in ipsa Heracleide II 5. 12, 5: *θεασάμενοι δὲ Ἡρακλέα τὰς χεῖρας ὤρεγον, ὡς ἀναστησόμενοι διὰ τῆς ἐκείνου βίας. ὁ δὲ Θησέα μὲν λαβόμενος τῆς χειρὸς ἤγειρε, Πειρίθουν δὲ ἀναστῆσαι βουλόμενος τῆς γῆς κινουμένης ἀφῆκεν*, narrationem indicant diligentius in epico fortasse carmine excultam. Nam Euripidis Pirithous in censuram non venit propter argumenti diversitatem; apud eum enim uterque amicus auxilio Herculis vitae redditus est. Haec interim sufficiant ad stabiliendam meam coniecturam, de qua fortasse alibi plura proferam: Pherecydem, ex quo Apollodorum in hac bibliothecae parte ubique pendere demonstrant libri tertii fragmenta, in enarranda Herculis vita permulta ex Panyassidis carmine hausisse[1]). Ac profecto largiorem ac celebriorem fontem nancisci vix poterat, quam eum poetam, cui secundas partes post Homerum in arte epica tribuere multi non dubitaverunt[2]), cuiusque carmine antiquior Pisandri gloria haud dubie mox obscurata est.

Sequitur brevis Thesei mortis adumbratio, quam non licet supplere ex scholiorum farragine apud Tzetzen in Lycophr. v.

---

1) conf. Strab. I p. 18: *πρώτιστα γὰρ ἡ ποιητικὴ κατασκευὴ παρῆλθεν εἰς τὸ μέσον καὶ εὐδοκίμησεν· εἶτα ἐκείνην μιμούμενοι, λύσαντες τὸ μέτρον, τἆλλα δὲ φυλάξαντες τὰ ποιητικά, συνέγραψαν οἱ περὶ Κάδμον καὶ Φερεκύδη καὶ Ἑκαταῖον.*

2) v. Suid. s. v. *Πανύασις.*

1324. Pauca Apollodori verba non recedunt a vulgata fabulae forma, quam quis primus invenerit nescimus.

Cap. II.

PELOPIS.

§ 9.

TANTALUS. BROTEAS.

(cap. VII et VIII.)

Absoluta Thesei historia Apollodorus, ut rectissime iam Heynius suspicatus erat, Tantalum eiusque progeniem tractavit, in qua usque ad Agamemnonem progressus sua sponte ad bellum Troianum pervenerat. Itaque si in librorum divisione ab editoribus instituta — nam in codicibus bibliotheca unum atque indivisum volumen efficit[1]) — pergere vellemus, ab epitomae capite septimo liber quartus incipiendus esset. Cuius initium mutilum est, nam dubitari nequit, quin simili ratione, atque supra[2]), ad novam heroum stirpem auctor bibliothecae transierit; atque etiam ex Tantali fabula sola poena eiusque causa ab epitomatore descripta est.

Huius causae autem duae tantum versiones in excerptis memorantur; tertiam eamque notissimam ab Apollodoro non praetermissam esse patet ex primis sequentis capitis verbis: *ὅτι Πέλοψ σφαγεὶς ἐν τῷ θεῶν ἐράνῳ* ... Cum altera Apollodori versione (*ὅτι τὰ τῶν θεῶν ἐξελάλησεν ἀνθρώποις μυστήρια*) consentiunt Diodorus (IV 74, 2) et Hyginus (f. LXXXII), alteram (*ὅτι τῆς ἀμβροσίας τοῖς ἡλικιώταις μετεδίδου*) Pindarus (Ol. 1, 60 ss.) protulit; utramque inventam esse ad vetustioris fabulae saevitatem mitigandam ex Pindaro discimus. Nec mirabimur, quod Apollodorus diversas has versiones non se-

---

1) Tamen vestigia veteris partitionis supersunt in schol. Hom. *Α* 195 *Ἀπολλόδωρος ἐν πρώτῳ* (I 3. 6), *Β* 103 *Ἀπολλόδωρος ἐν δευτέρῳ* (II 1. 3), *Δ* 42 *Ἀπολλόδωρος ἐν β′* (II 1. 4), *Β* 494 *Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ γ′* (III 4. 1).

2) conf. I 7. 1, II 1. 1, III 1. 1, III 8. 1.

iungendas curavit, sed, ne altera desideraretur, ambas in unum coegit. — Quod ad poenam tanti criminis attinet, notissimum erat atque iam Archilochi (fr. 53) aetate in proverbii usum conversum saxum illud Tantali capiti imminens, quod praeter carminis de Atridarum reditu auctorem[1]), qui singulari quadam specie totam fabulam excoluit, adhibuerunt poetae lyrici[2]); alterum Tantali tormentorum genus, quod vernaculum proverbium usurpantes respicere solemus, Odysseae interpolatori Orphico debetur, ut demonstravit Wilamowitzius (Hom. Untersuch. p. 200 ss.). Hoc autem Apollodorum exscripsisse in aprico est; conf. Hom.

λ 583 *ἑσταότ᾽ ἐν λίμνῃ· ἡ δὲ προσέπλαζε γενείῳ.*
558 *δένδρεα δ᾽ ὑψιπέτηλα κατὰ κρῆθεν χέε καρπόν·*
591 *τῶν ὁπότ᾽ ἰθύσει᾽ ὁ γέρων ἐπὶ χερσὶ μάσασθαι,*
τὰς δ᾽ ἄνεμος ῥίπτασκε ποτὶ νέφεα σκιόεντα.

Quod autem mythographus noster hisce cruciatibus saxum simpliciter adiecit, noli ipsi tribuere: haec enim duarum versionum coniunctio non modo in compendiis mythologicis usitatissima fuit[3]), verum etiam praeierat iam Polygnotus, cuius in pictura Delphica expressus erat *Τάνταλος καὶ ἄλλα ἔχων ἀλγεινά, ὁπόσα Ὅμηρος ἐπ᾽ αὐτῷ πεποίηκεν, ἐπὶ δὲ αὐτοῖς πρόσεστίν οἱ καὶ τὸ ἐκ τοῦ ἐπηρτημένου λίθου δεῖμα* (Paus. X 31, 12).

B r o t e a m[4]) Tantali filium intellegendum esse elucet ex ordine excerptorum, memoratum illum a Schol. Eurip. Or. 5 in Pelopidarum genealogia, quam ab Hellanico manavisse haud improbabiliter coniecit Thraemerus (Pergamos p. 61). Hunc Broteam vetustissimum omnium Cybeles simulacrum fabricasse opinio erat Magnetum (Paus. III 22, 4), eiusque filius Tantalus

1) Kinkel., fragm. ep. Gr. p. 56.

2) conf. Alcm. fr. 87, Alc. fr. 93, Pind. Ol. 1, 57 ss. De loco poenae vide Welcker. Mus. Rhen. X p. 242 ss., Wilamowitz. l. l., Thraemer. Pergamos p. 85.

3) v. Hyg. f. LXXXII et Schol. Pind. Ol. 1, 97 *ἑστὼς ἐν τῇ λίμνῃ καὶ λίθον ὑπὲρ κεφαλῆς εἶχεν.*

4) Broteam, non Bronteam, eum appellatum esse hoc testimonio denuo confirmatur.

ille dicebatur, qui ante Agamemnonem Clytaemnestram in matrimonium duxerat. In schol. min. Hom. *Ω* 602 hoc nomen Niobae marito tribuitur. Videmus igitur hoc nomen varia ratione Tantali progeniei admixtum esse. Contra is, quem citat Ovidius Ib. 515 s.:

> quodque ferunt Brotean fecisse cupidine mortis,
> des tua succensae membra cremanda pyrae,

aut Iovis filius vocatur, ut in scholiis ad hunc versum, aut, quod Natalis Comes et Domitius Calderinus tradiderunt, Minervae et Vulcani[1]). Atque hi quidem testes recentiores eum propter deformitatem oris contemptum in pyram se coniecisse narrant, quam fabulam recentiorem originem prae se ferre nemo non videt. Nostro autem loco[2]), ubi conexus cum Tantalidarum fatis certus est, eidem eius facinori longe alia causa subicitur; nam Tantali filium deorum spretorem fuisse iustasque superbiae poenas violenta quadam morte solvisse decebat. Neque ullius deae ira aptius in eum incendi poterat, quam Dianae, quae Niobae sororis arrogantiam tam crudeliter puniverat, cuiusque numinis irae, quod notatu dignum est, etiam agni aurei fatale donum a Pherecyde adscriptum est. Quae autem ratio intercedat inter hunc deorum inimicum atque illum Cybeles cultorem, in tanta testimoniorum penuria non magis enucleabitur, quam quae vetustissima elementa mythica in Broteae nomine ac fato fortasse occulta sint.

§ 10.

PELOPS.

(cap. IX.)

Quae de Pelope in epitoma leguntur, iam nota erant ex Tzetzae adnotatione in Lycophr. v. 156; hoc autem scholium, quale exstat in codd. Vitteberg. 2 et 3, omni ex parte consentit cum scholio cod. Monac. in Eurip. Or. 990, neque alienum est a schol. Hom. *B* 104, quamquam in hoc nova de Myrtili

1) conf. Gerhard. Mus. Rhen. VIII p. 130—133.
2) quem iam Ianus Parrhasius e cod. Vatic. exscripsit (conf. praefat.).

morte versio[1]) accedit, quae etiam in schol. Eurip. et a Tzetze breviter commemorata est. Quam arto vinculo haec omnia testimonia inter se conexa sint, duobus exemplis comprobasse sufficiat. De Myrtili enim insidiis eadem verba redeunt in epitoma et in scholiis Lycophr. et Eurip.: *ὁ δὲ* (om. E) *ταῖς χοινικίσι τῶν τροχῶν τοὺς ἥλους οὐκ* (E Tzetz.: *μὴ* schol. Eurip., Tzetzae codd. Vitteb. 2 et 3) *ἐμβαλὼν ἐποίησε τὸν Οἰνόμαον ἐν τῷ τρέχειν ἡττηθῆναι.* Haec paulo aliter expressit schol. Hom.: *ἀγωνιζομένων δὲ αὐτῶν ὁ Οἰνόμαος ἐκπίπτει τοῦ ἅρματος· οὐ γὰρ αἱ χοινικίδες τοὺς ἐμβόλους κατέσχον, τοῦτο πανουργήσαντος τοῦ Μυρτίλλου.* Contra inter omnes testes prorsus convenit de Oenomai diris, E., schol. Eurip., Tzetz.: *κατηράσατο τῷ Μυρτίλῳ γνοὺς τὴν ἐπιβουλήν, ἵνα ὑπὸ Πέλοπος ἀπόληται* (E Tzetz.: *ἀνέληται* schol. Eurip., Tzetz. codd. Vitt. 2 et 3), schol. Hom.: *γνοὺς δὲ τὴν ἐπιβουλὴν ὁ Οἰνόμαος ἀρὰς ἔθετο κατὰ Μυρτίλλου, ὅπως ἀπόληται ὑπὸ Πέλοπος.* Attamen pauca in his scholiis legimus, quae apud epitomatorem frustra requirimus. Atque cur Cleobulen, Myrtili matrem, ab epitomatore omissam auctor scholiorum haud dubie ex integro Apollodori textu derivaverit, statim videbimus. Quod autem scholiastes Euripidis, quomodo Hippodamia Myrtilum deceperit, breviter tantum attingit[2]), uberiores Apollodori et schol. Hom. narrationes in pauca verba contraxit, ut alia quoque ex scholiis Homericis sibi adsumpsit[3]). Alteram autem versionem de clavis cereis, itemque Eurythoen, Hippodamiae matrem solus addidit Tzetzes, fortasse ex scholio Apoll. Rhod. I 752, et quidem minus recte perspecto, nam in illo Eurythoe non uxor sed mater est Oenomai. — A Diodori (IV 73) et Hygini (f. LXXXIV) relatione Apollodorus plus uno loco re-

1) Non enim Myrtilus Hippodamiam stuprare audet, sed illa Myrtili amore incensa quasi Phaedrae partes agit, cum eum primum invitet, ut ex fortuita Pelopis absentia lucretur, deinde autem apud Pelopem redeuntem incuset, tamquam si vim sibi illaturus fuerit.

2) *διαβληθεὶς παρ' Ἱπποδαμείας, ὡς βιάζων αὐτὴν ἤ, ὡς οἱ πολλοί φασι, πειράζων αὐτήν.*

3) e. gr. quae initio scholii Euripidei de Pelope Lesbiaco praemissa sunt, ex schol. Hom. *Α* 38.

cedit; apud hunc enim regnum dimidium Pelops Myrtilo pollicetur, si se adiuvaret, apud illum, quocum in certaminis descriptione concinit, Oenomaus victus mortem sibi ipse consciscit neque omnino commemoratur Myrtili fatalis exitus.

Antiquiores fabulae fontes si inquirimus, quasi digito monstrat in Pherecydem schol. Apoll. Rhod. I 752 (fr. 93), ubi post cereorum clavorum mentionem haec sequuntur: *Φερεκύδης δὲ ἐν η̄ φησίν, ὅτι οὐκ ἐνέθηκεν ἐν τῷ ἄξονι τὸν ἔμβολον, καὶ οὕτως ἐκκυλισθέντος τοῦ τροχοῦ ἐκπεσεῖν τὸν Οἰνόμαον.* Quid igitur veri similius videtur, quam adsiduum Pherecydis pedisequum, quem etiam in sequenti de Atreo et Thyeste fabula agnoscemus, hanc quoque celeberrimi scriptoris narrationem in bibliothecam transtulisse? Huic igitur, quae de certaminis ratione diligenter exposita sunt, tribuo nec non numerum duodecim procorum ab Oenomao occisorum, qui ab aliis testimoniis diversus est[1]), Isthmumque cursus finem. Cum hoc enim, quod Thraemerum (Perg. p. 48) quoque perspexisse video, aliud Pherecydis fragmentum congruit schol. Soph. El. 505: *φησὶ Φερεκύδης, ὅτι Πέλοψ νικήσας τὸν ἀγῶνα καὶ λαβὼν τὴν Ἱπποδάμειαν, ὑπέστρεφεν ἐπὶ τὴν Πελοπόννησον μετὰ τῶν ὑποπτέρων*[2]) *ἵππων καὶ τοῦ Μυρτίλου. καθ᾽ ὁδὸν δὲ καταλαβὼν αὐτὸν προϊόντα πρὸς τὸ φιλῆσαι αὐτὴν ἔρριψεν εἰς θάλασσαν.* Nimirum ab Isthmo, ubi ad aram Neptuni[3]) victimam immolaverat, cum Hippodamia, quam in curru secum duxerat[4]), Pisam revertitur, ut socero mortuo uxoris regnum paternum occuparet. Nam nullo modo persuadere mihi possum apud Pherecydem, ut coniecit Thraemerus (p. 55 et 61), Oenomaum nondum Pisae regem fuisse atque Pelopem cum Hippodamia in nescio quam urbem Ar-

1) Tredecim sunt apud Pindarum, Ol. I 79 s., quorum nomina enumerat scholiastes, qui totidem apud Epimenidem et Hesiodum fuisse memorat. Contra Paus. VI 21, 10 s. catalogum sedecim nominum ex Magnis Eoeis affert.

2) conf. Apollodori *ἅρμα ὑπόπτερον.*

3) Diod. IV 73, 3 *ὑπεστήσατο δ᾽ ἱπποδρομίαν ἀπὸ τῆς Πίσης μέχρι τοῦ τῶν Κορινθίων Ἰσθμοῦ πρὸς τὸν βωμὸν τοῦ Ποσειδῶνος.*

4) Apollod. ep. IX 3 *ἀναλαβόντα τὴν Ἱπποδάμειαν εἰς τὸ οἰκεῖον ἅρμα.* Idem iam in Cypseli arca expressum erat (Paus. V 17, 7).

givam rediisse[1]). Qui enim hoc in itinere Myrtilum in sinus Corinthiaci fluctus detrudere potuit (p. 48)? Contra cursus ab Isthmo in Elidem aliter institui non poterat, quam secundum sinus Corinthiaci oram, eademque via, qua ad Isthmum pervenerat, Pelops *ὑπέστρεφεν ἐπὶ τὴν Πελοπόννησον*.

Atque haec Pherecydis verborum interpretatio optime quadrat ad singularem quandam Pheneatarum fabulam, cui Thraemerus, quamvis magnam sagacitatem ceteroqui in vetustissimarum fabularum vel minimis frustulis investigandis praestiterit, non eam qua digna erat auctoritatem tribuisse mihi videtur. Verba Pausaniae haec sunt (VIII 14, 10 s.): *ὄπισθεν*

1) Ceterum vereor, ne aliis quoque locis libri sui Thraemerus eo vehementer erraverit, quod antiquiorem fabularum formam, quam olim re vera exstitisse insignes rerum mythicarum investigatores nostra aetate felicissimo ingenio eruerunt, vetustiorum logographorum temporibus etiamtum floruisse statuit. Sic statim apud Pherecydem Pelopem in Argolidem immigrasse contendens egregie fallitur (p. 51 s.). Negat enim, praeter fr. 36a (de Atreo) ex libro tertio, qui fabulas Argolicas continebat, citatum, sedem ullius fragmenti ad Pelopem pertinentis nobis notam esse; sed non inspexit ad fr. 93 minus accurate a Muellero expressum Keilii editionem scholiorum Laurentianorum in Apollonium Rhodium, ubi distincte legitur: *Φερεκύδης δὲ ἐν ῆ φησίν*. Sed quid in octavo libro, quo Aeoli liberos pertractasse Pherecydes videtur, Pelopis et Oenomai certamen sibi voluit? Iam recordemur Myrtili genealogiae, quam ex schol. Eurip. et Tzetz. in bibliothecam recipiendam statueramus: *υἱοῦ ὑπάρχοντος Ἑρμοῦ καὶ Κλεοβούλης τῆς Αἰόλου*. Quod si Pherecydi, Apollodori fonti, restituimus, a Myrtili genealogia ad certaminis illius narrationem scriptorem perrexisse videmus. Itaque, cum nobis novum indicium artioris conexus inter Pherecydem et Apollodori scholiorumque versionem accrescat, omnia corruunt, quae sagacius quam verius Thraemerus de Pelope apud Pherecydem in terram Argivam immigrante coniecerat. — Neque minus incaute eandem versionem Hellanici propriam fuisse ex eius fr. 44 conclusit. Nam Pelopis adventum ex Asia in primo libro de sacerdotibus Argivis memoratum esse hoc fragmento demonstratur, quomodo autem ex simplici Sipyli mentione (Steph. Byz. *Σίπυλος, πόλις Φρυγίας· Ἑλλάνικος Ἱερειῶν πρώτῳ*) Pelopem in Argolidem pervenisse Thraemerus (p. 58 s.) elicuerit, prorsus me fugit. Nam Pelopis adventum Hellanicus in sacerdotum catalogum haud dubie suo loco, ut factum maxime memorabile, inseruerat; sed minime, ut docent fragmenta, quorum fere nullum ad Argolidis historiam pertineat, ea tantum recepit, quae aut in hac terra, aut ab Argivis heroibus gesta erant.

δέ ἐστι τοῦ ναοῦ (scil. *Ἑρμοῦ*) *τάφος Μυρτίλου. τοῦτον Ἑρμοῦ παῖδα εἶναι Μυρτίλον λέγουσιν Ἕλληνες ... Φενεᾶται δὲ τοῦ Μυρτίλου τὸν νεκρὸν ἐκβληθέντα ὑπὸ τοῦ κλύδωνος λέγουσιν ἀνελόμενοι θάψαι, καὶ νύκτωρ κατὰ ἔτος ἐναγίζουσιν αὐτῷ.* Habes traditionem cum summi Pheneatarum dei[1]) veneratione cohaerentem, cultu heroico firmatam, omni denique venerandae vetustatis specie insignem. Nam iure monuit E. Curtius (Pelop. I 166 s.) hanc fabulam cum aliis quibusdam ab ea aetate repetendam esse, qua Arcadum fines etiamtum usque ad oram maritimam pertinuerint. — Itaque ab hac fabula potius, quam a stemmatis incertae aetatis atque originis, quae Thraemerus accivit, nobis proficiscendum erit Myrtili historiam illustraturis. Cum igitur iam antiquissimis temporibus Myrtilum Mercurii filium fuisse Pheneatasque festos mortuo consecrasse constet, quid magis a veritatis specie abhorret, quam Oenomai proditori divinos honores dicatos esse, atque Pelopem, qui, etiamsi fortasse olim nondum ipsius Mercurii filius habitus sit, tamen regnum ab eo accepisse ferebatur[2]), fratrem ab eodem deo procreatum dolose interemisse? Atque iam pridem viris doctis perspectum est, Pelopem equis alatis, quos iam in Cypseli arca et apud Pindarum (Ol. 1, 88) invenimus, instructum aurigae proditione omnino non indiguisse. Quae cum ita sint, Myrtili fatum in antiquissimis fabulis cum Pelope nullo modo cohaesisse[3]) elucet, atque tum demum, cum iam sollemnia nocturna a Pheneatis Myrtilo consecrata essent, Oenomao aurigam proditiosum adiectum esse. Ergo ea quoque omnia, quae de Myrtilo apud Geraestum promunturium in mare detruso et de maris Myrtoi nomine etiam apud Apollodorum leguntur, recentioris originis sunt, non ex antiquissima Lesbiorum fabula in Graeciam translata, ut Robertus sagacissime

---

1) Paus. ib.: *θεῶν δὲ τιμῶσιν Ἑρμῆν Φενεᾶται μάλιστα.*

2) Propterea, ni fallor, etiam Pherecydes (schol. Eur. Or. 999) ab eiusdem numinis ira, a quo Pelopi apud Homerum (*B* 104) regni insignia tradita erant, totius Pelopidarum gentis triste fatum repetere dubitavit.

3) Haud scio an huius fabulae vestigium lateat in fabularum varietate ab Apollodoro memorata: *κατὰ δέ τινας* (*Οἰνόμαον*) *ἀναιρεθῆναι ὑπὸ Πέλοπος.*

suspicatus erat[1]). Geraesti autem promunturium in historia fabulari haud ignobile propterea cum Myrtili interitu coniunctum esse censeo, quod proxime aberat a Myrto insula, cui mare Myrtoum revera nomen suum debuisse videtur[2]).

Atque terminum, ante quem haec coniunctio Pelopis cum Myrtilo Pheneatarum heroe confecta sit, lucramur ex Alcmaeonidis fr. 6. Nam etiamsi schol. Eurip. Or. 995 verba *ἀκολουθεῖν ἂν δόξειεν τῷ τὴν Ἀλκμαιωνίδα πεποιηκότι εἰς τὰ περὶ τὴν ἄρνα* per se ad agnum solum pertineant, tamen ad auctorem huius prodigii non minus ipsi versus Euripidei, quam quae in scholio sequuntur respiciunt: *Φερεκύδης* [frg. 93] *δὲ οὐ καθ' Ἑρμοῦ μῆνίν φησι τὴν ἄρνα ὑποβληθῆναι, ἀλλὰ Ἀρτέμιδος.* Haec autem Mercurii ira in totam Pelopis progeniem Myrtili filii morientis diris incensa erat. Quae versio cum Alcmaeonidis indole Doride, quam nuper explanavit Otto Immisch[3]), optime consociatur. Num primus eam si non invenerit, tamen litteris mandaverit carminis Corinthiaci[4]) auctor, demonstrari nequit, suspicari licet.

Sed quidquid de antiquissima huius fabulae historia statuis, a Pherecydis versione, qui a Pelope in Peloponnesum redeunte Myrtilum in mare deiectum esse tradiderat, Geraesti mentionem alienam esse certum est. In bibliotheca autem hoc additamentum, quippe quod ex tragicis in vulgatam fabularum formam transiisset, desiderari non poterat. Apollodorus igitur in mediam Pherecydis narrationem ea inculcavit, non curans se prorsus incongrua atque inter se pugnantia miscere[5]). — Contra quae in fine huius capitis de Pelopis lustratione a Vulcano perpetrata et de Peloponnesi nomine leguntur, cur Pherecydi abrogemus, non video.

---

1) Bild und Lied p. 186 s. (schol. Hom. *Α* 38). Equidem Thraemero (p. 46 ss.) contra Roberti argumentationem disputanti adsentior.

2) conf. Forbiger, Hdbch. d. alt. Geogr. II p. 20 (Plin. N. H. IV 51 appellatur ab insula parva, quae cernitur Macedoniam a Geraesto petentibus, haud procul Euboeae Carysto).

3) Klaros, Fleckeis. ann. Suppl. XVII (v. p. 206).

4) Nota Isthmum cursus finem fuisse.

5) Iam Euripidem similis neglegentiae arguit Thraemerus (p. 49).

§ 11.

ATREUS ET THYESTES. [AGAMEMNON.]

(cap. X.)

Quae in epitoma sequuntur de Atreo et Thyeste, ut narratio de Pelope, ex Tzetzae voluminibus nota iam erant, nisi quod compilator sedulus ea non commentario in Lycophronis carmen, sed Chiliadibus inseruerat. Nam egregie nunc confirmatur, quod coniecerat Theodorus Voigt[1]) a Tzetze in fabula de agno aureo (Chil. I 436 s.) non Apollonium[2]) sed Apollodorum auctorem citatum esse. Praeterea accedit Schol. Hom. *B* 105, a quo verbum fere ex verbo derivatum est scholium Euripideum (intermarginale codicis Vaticani A) in Or. v. 811, ita tamen, ut non hoc scholium ex Apollodoro descriptum esse, sed utrumque ex communi fonte hausisse appareat[3]). Nam post verba cum Apollodoro concinentia *καὶ καθείρξας εἰς λάρνακα ἐφύλαττε* haec leguntur in scholiis: *μέγα δέ τι φρονήσας ἐπὶ τῷ κτήματι κομπάζει ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς. ἠνίασε τοῦτο Θυέστην, καὶ ὑπελθὼν ὡς ἐρῶν ἔπεισε τὴν Ἀερόπην δοῦναι αὐτῷ τὸ κτῆμα· λαβὼν δὲ ἀντεῖπε τῷ ἀδελφῷ, ὡς οὐ δεόντως κομπάζοντι.* Sequentia verba *ἔλεγε δὲ αὐτὸς ἐν τῷ πλήθει δεῖν* [*καὶ* add. schol. Eur.] *τὴν βασιλείαν ἔχειν τὸν τὴν χρυσῆν ἄρνα ἔχοντα* ad epitomae versionem redeunt, sed frustra quaesiveris, cur tandem disceptationem de regno ab agni aurei possessione pendentem subito proposuerit Thyestes, Atreus acceperit. Contra ex Apollodoro comperimus, quomodo certamen illud de regno ortum sit; nimirum Mycenaeis oraculum editum erat[4]),

1) De Atrei et Thyestae fabula I. Diss. Hal. VI. conf. p. 401 ss.

2) *ὁ δ' Ἀπολλώνιός φησιν εὔξασθαι τὸν Ἀτρέα*
Ἀρτέμιδι τὸ κάλλιστον θῦσαι τῶν ἐν τῇ ποίμνῃ κτλ.

3) nisi forte lacunam in epitomae narratione statuere praefers.

4) haud dubie post Eurysthei mortem, ut elucet ex Thuc. I 9 (reliqua testimonia collegit Voigt. l. l. p. 426), ubi Atreus regnum, quod ab Eurystheo tuendum acceperat, post illius mortem retinuit. Apud Apollodorum (II 4. 6, 5) iam Sthenelus, Pelopis gener, postquam expulso Amphitryone Mycenas et Tiryntha occupaverat, *τὴν Μίδειαν μεταπεμψάμενος τοὺς Πέλοπος παῖδας, Ἀτρέα καὶ Θυέστην, παρέθετο τούτοις*, ut haec quasi prima statio transitus regni Argivi ad Pelopidas fuerit.

ut Pelopis filium regem crearent. Hic igitur Apollodorus fontis communis vestigia accuratius legit.

Perhibemus in excerptis continuam atque non minus copiosam, quam illam quae antecedit, narrationem de infinita scelerum serie, quam exsecranda Atrei et Thyestae memoria complectitur. Illam ut Pherecydi maxima quidem ex parte tribueremus, variae causae suadebant; in hac eidem scriptori restituenda iam praecessit Voigtius (l. l.), qui cum Tzetzae fabula ab Apollodoro repetita optime comparavit schol. Eurip. Or. 995 supra exscriptum (p. 165), quo docemur apud Pherecydem non Mercurii, sed Dianae ira agnum aureum procreatum esse. In hac autem versione etiam fabulae Apollodoreae cardo vertitur. Atque cum huius narrationis indoles optime quadret ad antecedentem Pelopis historiam, atque, nulla lacuna hiante aut discrepantia intercedente, omnes singulae partes optime sese excipiant, fortasse conicere possumus hanc quoque de Atrei et Thyestis facinoribus relationem ex Pherecydis genealogiis in bibliothecam pervenisse. Tragici poetae, qui Pelopidarum fata varie excoluerunt, in universum eandem versionem secuti esse videntur[1]); singularum autem tragoediarum argumenta segregare ac paulo distinctius adumbrare vix unquam continget, quamvis accurate nuper in hanc rem inquisiverint Theodorus Voigt (l. l.) et Otto Immisch (l. l. p. 202 ss.). Itaque, cum ne ex bibliotheca quidem ulla fabularum tragicarum vestigia elici possint[2]), ad maiora properantes non diutius hic morabimur.

Cum a regno Thyestae restituto epitomator statim perrexerit ad belli Troici primordia, omnia exciderunt, quae de Agamemnonis adulescentia in bibliotheca narrata erant. Agamemnonem et Menelaum non ab Atreo sed a Plisthene ex Aerope procreatos esse Apollodorus (III 2. 2, 1) memora-

1) conf. Immisch. l. l. p. 206.

2) Attamen unum quidem vestigium artioris conexus inter nostram narrationem et Euripidis Thyestem repperi in fragm. inc. fab. 861:

δείξας γὰρ ἄστρων τὴν ἐναντίαν ὁδὸν
δήμους τ' ἔσωσα καὶ τύραννος ἱζόμην,

(δόμους τ' coni. Bergkius, θρόνους τ' Heimsoethius), quae Atrei verba ad Euripidis Thyestem recte referuntur.

verat; sed inde non sequitur, ut eandem versionem antiquiorem[1]), quam supra in aliarum rerum conexu obiter tetigerat, etiam in uberiore Pelopidarum historia praetulerit. Circumspicientes autem, unde hanc lacunam expleamus, rursus ad Tzetzae Chiliades reducimur, ubi a fine servatae in bibliotheca fabulae sic ad Agamemnonem transit, ut, quae de eius fuga atque reditu proferuntur, ex eodem fonte deprompta esse certum sit. Namque Aegisthus:

I 454 *ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐπιδραμὼν καὶ κτείνας τὸν Ἀτρέα*
τὴν βασιλείαν τῷ πατρὶ πάλιν ἐπανασώζει.
τὸν δ᾽ Ἀγαμέμνονα τροφὸς μετὰ τοῦ Μενελάου
ἄγει πρὸς Πολυφείδεα κρατοῦντα Σικυῶνος,
ὃς πάλιν τούτους πέπομφε πρὸς Αἰτωλὸν Οἰνέα.
μετ᾽ οὐ πολὺ Τυνδάρεως τούτους κατάγει πάλιν·
οἳ τὸν Θυέστην μὲν αὐτὸν Ἥρας βωμῷ φυγόντα
ὁρκώσαντες διώκουσιν οἰκεῖν τὴν Κυθηρίαν.
οἱ δὲ Τυνδάρεω γαμβροὶ γίνονται θυγατράσιν,
ὁ Ἀγαμέμνων μὲν λαβὼν σύνευνον Κλυταιμνήστραν
κτείνας αὐτῆς τὸν σύζυγον Τάνταλον τὸν Θυέστου,
σὺν τέκνῳ πάνυ νεογνῷ, Μενέλαος Ἑλένην.

Sic ad Helenam perventum est, a qua transitus ad Paridis iudicium paratus erat. Nam de Helenae procorum certamine post copiosam narrationem III 10. 8 s. non opus erat fusius exponere. Restituamus igitur Apollodoro hanc Tzetzae fabulam ceterum a nostris mythographis non minus quam ab antiquis prorsus neglectam. Unde vero hanc Agamemnonis fugam ad Polyphidem, Sicyoniorum regem, hauserit, adsequi non possum, cum alia testimonia desint. Tantalus autem, prior Clytaemnestrae maritus, memoratus apud Pausaniam (II 18, 2 et 22, 3), fortasse ab Euripidis Iph. Aul. 1149 ss. repetitus est, ubi Tzetzae relatio apte illustratur Clytaemnestrae verbis:

ἔγημας ἄκουσάν με κἄλαβες βίᾳ,
τὸν πρόσθεν ἄνδρα Τάνταλον κατακτανών,
βρέφος δὲ τοὐμὸν σῷ προσουρίσας πάλῳ,
μαστῶν βιαίως τῶν ἐμῶν ἀποσπάσας.

1) de qua confer Furtwaenglerum in Roscheri Lex. myth. I p. 91.

Cap. III.

ANTEHOMERICA.

Ad Antehomerica pergentem quasi in solidiore pavimento vestigia ponere licebit. Nam quod Mus. Rhen. XLI p. 147 ss. paucis exemplis interim propositis suspicatus eram excerpta de rebus Troicis, quae nunc ex celeberrimae bibliothecae Vaticanae tenebris in lucem edimus, artissimo quodam vinculo cum Procli epitoma ex epici cycli carminibus cohaerere, nunc iuvat pro certo affirmare atque exactius definire: Apollodorum quoque similia excerpta ex epicorum carminum thesauris adhibuisse, sed multo largiora et uberiora, quam ea sunt, quae in Iliadis codicibus ad nostram memoriam pervenerunt. Hanc sequentis commentationis summam iam hic praecipere oportet, ne rerum tractandarum ordinem graviter disturbemus[1]).

Argumentorum Proclianorum eam recensionem, quae tamquam praefatio ad Homeri carmina Iliadi praemissa est, genuinam esse non posse nemo non videt. Quis enim, ut tam exilem ac brevem eorum conspectum conficeret, tot voluminibus amplissimis perlegendis operam dederit? Immo vero iam temporibus multo antiquioribus tales epitomas ipsorum carminum loco in manibus legentium fuisse ipsa res fert. Nam quo celerius homines haec carmina ipsa evolvere desierunt, eo magis desiderabant breviora atque commodiora summaria fabularum in eis enarratarum, quae ad intellegenda atque illustranda Homeri et tragicorum opera necessaria erant. Itaque vix errabimus, si iam Alexandrinorum aetate, cum docti grammatici Homerum edere explicare commentariis instruere coepissent, talia breviaria orta esse censemus. Multoque magis Romani, cum Homeri carmina sic comparata, ut statim in medias res abripiamur ac breviter modo perstringantur, quae cuique nota esse poeta confidat, lectitare inciperent, talibus subsidiis indigebant. Ac

1) Conferas interim, quae de Glauci morte (§ 17, 2), de Aiacis Telamonii sepultura (§ 17, 4), de Anticlo (§ 20, 3) exposuimus.

praecipue pueri in scholis qua ratione aptius in fabulas Homericas introduci poterant, quam proposita Antehomericorum et Posthomericorum epitoma? Hanc autem coniecturam etiam fulcire licet certis testimoniis citatis a Michaelisio[1]). Sic Plutarchus (de aud. poet. M. p. 14) inter libros, quos legentes pueri maxime delectantur, statim post Aesopi fabulas enumerat non historiae fabularis compendia, sed carminum argumenta (*ποιητικαὶ ὑποθέσεις*). Et Dositheus ad exercitandam sermonis Graeci cotidianam conversationem belli Troiani historiam adhibuit. Iam quo ordine hae carminum epicorum epitomae, per complura saecula studiosissime lectitatae et exscriptae, pedetemptim mutatae decurtatae atque etiam interpolatae sint, nostris temporibus erui nequit; hoc autem nunc primum ex uberiore excerptorum Apollodoreorum forma dilucidissime cognoscitur, Procli, quisquis fuit[2]), epitomam, qualis in codicibus Veneto et Escorialensi legitur, nil nisi ultimam quasi stationem longissimae viae significare.

Atque Apollodorum quoque haec subsidia haud sprevisse ex uno quidem bibliothecae servatae loco elucet. Nam in eis, quae III 11. 2 de Tyndaridarum bello cum Ida et Lynceo narrantur, Cypriorum vestigia latere ex Proclo versibusque in Schol. ad Pind. Nem. X 114 [Cypr. fr. 9 K.] servatis apparet. Fortasse etiam, quae de Helena a Iove ex Nemesi procreata et a Leda educata III 10. 7 tam nitide belleque explicantur, ex eodem carmine hausta sunt; aptissime enim ea subiunguntur versibus apud Athenaeum VIII p. 334 B [frg. 6 K.] exstantibus[3]). De Pelei Thetidisque nuptiis (III 13. 5) statim videbimus. Nec non memoratu dignum est, quod ipsa prima bibliothecae verba prorsus concinunt cum initio *τοῦ λεγομένου*

1) Jahn, Griech. Bilderchron. p. 85 ss. 102 ss. 121 s.

2) Wilamowitzius (Hom. Untersuch. p. 330) philosophum quinti saeculi contra grammaticum saeculi secundi, quem Welckerus excitaverat, defendit. Ut nunc res se habet, nostra omnino non multum interest, qua aetate floruerit chrestomathiae auctor, qui nihil aliud praestiterit, quam ut epitomas ex antiquiore quodam exemplari descripserit, unde denuo excerptae in scholia Homerica transierunt.

3) Aliter sentit Welckerus (Cycl. ep. II p. 131).

ἐπικοῦ κύκλου, ὃς ἄρχεται ἐκ τῆς Οὐρανοῦ καὶ Γῆς μυθολογουμένης μίξεως, ἐξ ἧς αὐτοὶ [sic Heynius, αὐτῷ codd.] καὶ τρεῖς παῖδας ἑκατοντάχειρας καὶ τρεῖς γεννῶσι Κύκλωπας[1]). Iam his exemplis, priusquam ad bellum Troianum pervenerimus, bene illustrantur epigrammatis haud illepidi versus, quibus poeta anonymus lectorem benevolum, ut Apollodorum frequenter evolveret, invitaverat[2]):

μηδ' ἐς Ὁμηρείην σελίδ' ἔμβλεπε, μηδ' ἐλεγείην,
μὴ τραγικὴν Μοῦσαν, μηδὲ μελογραφίην,
μὴ κυκλίων ζήτει πολύθρουν στίχον· εἰς ἐμὲ δ' ἀθρῶν
εὑρήσεις ἐν ἐμοὶ πανθ' ὅσα κόσμος ἔχει.

Cave vero exspectes nos nunc quasi per amoenas fabularum epicarum silvas ambulantes ex arboribus fructu gravibus poma matura facili opera decerpturos esse. Nam cum Apollodorus hic quoque ex more suo eum fontem, quem praecipue secutus est, multis modis mutaverit multaque ex aliorum testimoniorum copia admiscuerit, eo prae ceteris munere nobis fungendum erit, ut diligenter atque curiose perpendamus, quibus fabulis ab Apollodoro enarratis ad augendam carminum epicorum notitiam probabiliter uti possimus. Atque in tanta Procli epitomae ieiunitate tantaque reliquorum fragmentorum paucitate ne minimam quidem scintillulam, qua miseras amplissimae huius poesis reliquias illuminare contingat, spretum iri confido.

§ 12.

PARIDIS IUDICIUM. RAPTUS HELENAE.

(cap. XI.)

1. Dearum discidium qua occasione evenerit, neque in epitoma commemoratur, neque ab Apollodoro fusius exponi oportebat, quippe qui iam antea Pelei Thetidisque historiam perscripsisset III 13. 5: τινὲς δὲ λέγουσι μὴ βουληθῆναι Θέτιν

1) Phot. bibl. p. 319 a Bekker (Kinkel, Fragm. ep. Gr. p. 1).
2) Phot. bibl. p. 142 b.

Διὶ συνελθεῖν ὑπὸ Ἥρας τραφεῖσαν. Δία δὲ ὀργισθέντα θνητῷ ἐθέλειν αὐτὴν συνοικίσαι. Χείρωνος μὲν οὖν ὑποθεμένου Πηλεῖ συλλαβεῖν καὶ κατέχειν αὐτὴν μεταμορφουμένην, ἐπιτηρήσας συναρπάζει, γινομένην δὲ ὅτὲ μὲν πῦρ ὅτὲ δὲ ὕδωρ ὅτὲ δὲ θηρίον οὐ πρότερον ἀνῆκε, πρὶν ἢ τὴν ἀρχαίαν μορφὴν εἶδεν ἀπολαβοῦσαν. γαμεῖ δὲ ἐν τῷ Πηλίῳ, κἀκεῖ θεοὶ τὸν γάμον εὐωχούμενοι καθύμνησαν. καὶ δίδωσι Χείρων Πηλεῖ δόρυ μείλινον, Ποσειδῶν δὲ ἵππους Βαλίον καὶ Ξάνθον· ἀθάνατοι δὲ ἦσαν οὗτοι. Iam subit suspicio, nonne haec quoque ex Cypriorum epitoma auctor bibliothecae mutuatus sit, quoniam omnia huius narrationis elementa ab antiquissimis fabulis repetere licet. Nam Thetidem a se educatam esse ipsa Iuno profitetur in recentioribus Iliadis versibus *Ω* 59 ss.:

> *αὐτὰρ Ἀχιλλεύς ἐστι θεᾶς γόνος, ἣν ἐγὼ αὐτὴ*
> *θρέψα τε καὶ ἀτίτηλα καὶ ἀνδρὶ πόρον παράκοιτιν,*
> *Πηλέϊ, ὃς περὶ κῆρι φίλος γένετ' ἀθανάτοισιν.*
> *πάντες δ' ἀντιάασθε, θεοί, γάμου· ἐν δὲ σὺ τοῖσιν*
> *δαίνυ' ἔχων φόρμιγγα*[1]), *κακῶν ἕταρ', αἰὲν ἄπιστε.*

Ut autem mutatas Thetidis formas vetustissimae historiae fabulari adscribamus, suadent monumenta, ut Cypseli arca[2]) vasaque nigris figuris exornata[3]). Et quod Peleus Chirone auctore Thetidem bracchiis amplecti non desiit, donec in pristinam formam redeuntem vidisset, nihil differt ab ea ratione, qua ut patris artem magicam frangeret, Protei filia Menelaum adhortata erat (*δ* 414 ss.). Equos autem immortales *Πηλῆϊ θεοὶ δόσαν ἀγλαὰ δῶρα* (*Π* 867), atque hastam fraxineam a Chirone Peleo donatam esse ex ipsis Cypriis testatur Schol. Hom. *Π* 140 [fr. 2 K.].

Sed narrationis, quam epitoma Vaticana perhibet, statim primum verbum a veteris poesis epicae memoria longe aberrat, cum Discordiae malum fatale Alexandrinorum poetarum facetiis

1) *καθύμνησαν* Apollod.

2) Paus. V 18, 5 *πεποίηται δὲ καὶ Θέτις παρθένος· λαμβάνεται δὲ αὐτῆς Πηλεύς, καὶ ἀπὸ τῆς χειρὸς τῆς Θέτιδος ὄφις ἐπὶ τὸν Πηλέα ἐστὶν ὁρμῶν* (conf. e. gr. Overb. tab. VII 6).

3) Overbeck, Bildw. d. theb. u. tro. Sagenkr. p. 177 ss., tab. VII 8.

deberi verisimile sit. Sed cum reliqua cum Cypriorum argumento optime congruant, Procli et Apollodori verbis inter se comparatis evincitur mythographum in media Procli verba: *παραγενομένη δὲ Ἔρις εὐωχουμένων*[1]) *τῶν θεῶν ἐν τοῖς Πηλέως γάμοις νεῖκος περὶ κάλλους ἐνίστησιν Ἀθηνᾷ Ἥρᾳ καὶ Ἀφροδίτῃ*, malum illud, cuius mentionem vulgata fabulae forma desiderabat, temerarie intrusisse: *μῆλον περὶ κάλλους Ἔρις ἐμβάλλει Ἥρᾳ καὶ Ἀθηνᾷ καὶ Ἀφροδίτῃ*. Contra Stasino — ἢ *ὅστις δήποτε χαίρει ὀνομαζόμενος* — reddenda sunt, quae de singulis dearum pollicitationibus plane atque simpliciter in bibliotheca proferuntur[2]). Nam minus feliciter Welckerus (Cycl. ep. II p. 90) Euripidis versus (Troad. 925 ss.) advocavit, ubi Iuno Alexandro Asiae et Europae regnum, Minerva autem victoriam a Graecis reportandam promittit. Nam procul absunt a carminis epici simplicitate ea artificia, quibus Helena illo loco demonstrare studet multo maiores calamitates, si Iunonem aut Minervam ille praetulisset, Graecis eventuras fuisse.

2. Paridis profectionem ad Helenae raptum Proclus plenius perscripsit, quam Apollodorus, qui neque Heleni aut Cassandrae praesagia, neque Paridis hospitium apud Tyndaridas commemoravit. Num autem nomen eius viri, qui Paridi naves fabricavit, in Cypriis citatum fuerit, elici nequit ex Procli verbis: *ἔπειτα δὲ Ἀφροδίτης ὑποθεμένης ναυπηγεῖται (Ἀλέξανδρος)*.[3]) Apud Homerum non Phereclus, sed Harmonides nominatur *E* 59 ss.:

> *Μηριόνης δὲ Φέρεκλον ἐνήρατο, τέκτονος υἱὸν*
> *Ἁρμονίδεω, ὃς χερσὶν ἐπίστατο δαίδαλα πάντα*
> *τεύχειν· ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο Παλλὰς Ἀθήνη·*
> *ὃς καὶ Ἀλεξάνδρῳ τεκτήνατο νῆας ἐίσας*

1) conf. Ap. l. l. *θεοὶ τὸν γάμον εὐωχούμενοι* et schol. Hom. *Π* 140 *οἱ θεοὶ συναχθέντες εἰς τὸ Πήλιον ἐπ' εὐωχίᾳ ἐκόμιζον Πηλεῖ δῶρα.*

2) Similiter Hyg. f. XCII: 'Cui Iuno, si secundum se iudicasset, pollicita est in omnibus terris eum regnaturum, divitem praeter ceteros praestaturum; Minerva, si inde victrix discederet, fortissimum [sic Munckerus: formissimum cod.] et omni artificio scium.' Conf. Colluth. Rapt. Hel. 139—153.

3) Etiam apud Euripidem (Hec. 631 ss. et Hel. 229 ss.) Paris ipse navem exstruxit.

ἀρχεκάκους, αἳ πᾶσι κακὸν Τρώεσσι γένοντο,
οἷ τ' αὐτῷ, ἐπεὶ οὔτι θεῶν ἐκ θέσφατα ᾔδη.

Alexandrini autem hos versus aliter interpretantes a patre ad filium hoc opus transtulerunt[1]), ut demonstrant Lycophronis (v. 97) Φερέκλειοι πόδες (conf. Triphiod. 60). Num Apollodorus, ut Tzetzes[2]), utramque versionem attulerit, epitomator autem alteram elegerit, nescimus.

In sequentibus Proclus et Apollodorus tam arta propinquitate inter se coniuncti sunt, ut ipsa verba repetantur: Procl. τὰ πλεῖστα κτήματα ἐνθέμενοι νυκτὸς ἀποπλέουσι, Apollod. ἐνθεμένη τὰ πλεῖστα τῶν χρημάτων ἀνάγεται τῆς νυκτὸς σὺν αὐτῷ. Itaque alterius narrationem ex altero licet complere. Nam cum Apollodorus Aeneam itineris comitem Troianosque a Tyndaridis hospitaliter exceptos praeterierit, addit spatium novem dierum, quo expleto Menelaus Cretam profectus est. Quod quid sibi velit, elucet ex heroicae aetatis more[3]) cuivis ex Bellerophontis historia noto Z 174:

ἐννῆμαρ ξείνισσε καὶ ἐννέα βοῦς ἱέρευσεν·
ἀλλ' ὅτε δὴ δεκάτη ἐφάνη ῥοδοδάκτυλος Ἠώς,
καὶ τότε μιν ἐρέεινε.

Hunc igitur rerum conexum in carmine Cyprio exstitisse conicio: Menelaum, cum adveniret Paris, hoc iter iam initurum fuisse, sed hospitis in honorem usque ad decimum diem prolatavisse. Atque cum hoc additamentum ex Cypriorum argumento receptum esse cognoverimus, etiam causam profectionis eidem tribuere non dubitabimus, nam non erat, cur in tantula re alium fontem auctor bibliothecae adiret, praesertim cum alibi nusquam traditum sit[4]) ad avum[5]) visendum Menelaum hoc iter in-

1) Hoc facile accidere potuit, quod verba οἷ τ' αὐτῷ magis Phereclum a Merione necatum, quam Harmonidem respicere videntur. Ceterum hanc interpretationem Romanorum aetate usitatam fuisse concludo ex mentione 'Pherecleae puppis' apud Ovidium (Her. XV 22).

2) ταύτης (scil. Ἀφροδίτης) δὲ ἐπιταγῇ ναυπηγήσαντος αὐτῷ ναῦς Ἁρμονίδου, κατὰ δέ τινας Φερέκλου.

3) Sic Oeneus venatores ἐπὶ ἐννέα ἡμέρας ἐξένισε (Apollod. I 8. 2, 5).

4) Aliam causam protulerunt Alcidamas Ulix. 4 (or. Att. II 199), Ptolem. Nov. Hist. 5 (p. 192 Westerm.) v. Roscher. Lex. myth. I p. 1937.

5) De Catreo Aeropes patre conf. Apollod. III 2. 1 s.

gressum esse. Filiam domi a se fugiente relictam esse Helena ipsa profitetur Γ 173 ss.[1]), sed novem annos Hermionen tunc temporum natam fuisse nunc primum comperimus. Quod ex Cypriis derivatum esse evincitur aperto consensu verborum insequentium cum Proclo.

3. De Paridis Helenaeque reditu eadem fere referunt Apollodorus et Proclus; quod non factum esse malim. Nam cum certissimo Herodoti (II 117) testimonio confirmetur, a Cyprii carminis poeta caelo sereno Paridem cum Helena triduo in patriam reductum esse, Procli narrationem, ut consensus cum versione Homerica (Z 289—292) refingeretur, interpolatam esse in aprico est. Hanc autem interpolationem non cum Wuellnero ei imputandam esse, qui hoc argumentum ex Proclo excerpserit, sed multo antiquiorem esse, ut iam Robertus (Bild u. Lied p. 246 s.) probabiliter coniecerat, nunc ex Apollodoro demonstratur, cuius testimonio accedunt verba Iliadis argumenti Borbonici, quod in epimetro edidimus: *πλησιάσας τινὶ τῶν νήσων ἐπ' Αἰγύπτῳ καὶ Φοινίκῃ πλανηθῆναι πρότερον.* Num vero iure vir sagacissimus inde progressus totius carminum epicorum epitomae auctoritatem graviter afflictaverit, infra examinabimus (v. § 23).

Ceterum hi Paridis errores, quorum originem satis antiquam esse testantur versus Homerici supra citati, posteriore aetate exculti atque amplificati esse videntur, ut apparet ex ea parte versionis Appollodoreae, quae non modo apud Proclum desideratur, sed ne cum ipsius quidem antecedentibus verbis conspirat. Namque Iuno irata Paridem, similiter atque Herculem Troia redeuntem (II 7. 1, 1), procella obruit; hic autem undarum vi a recto cursu depulsus, quasi refugio utitur hoc errore, ut ei in beneficium vertatur damnum a dea acceptum. Qui praeterea in remotissimo illo maris angulo, ne Graeci se persequerentur, timere potuit? Quae cum ita sint, duas quondam exstitisse huius fabulae versiones suspicor, quarum altera Paridem consulto in Phoenicen deflexisse ibique aliquamdiu per-

1) Lamentationes filiae a matre desertae copiose expressit Colluthus (Rapt. Hel. 322 ss.).

mansisse referebat, ne Menelaus aut fugientem se caperet, aut statim Troiam profectus uxorem sibi eriperet. Etiam de Paride Cypri in insula morante aliud testimonium non repperi.

Hoc Paridis iter ansam aptissimam praebuit notissimae fabulae de Helenae simulacro, quae in epitoma subsequitur. Nam qui totum fabularis historiae gyrum scholarum in usum complecti voluit, hanc fabulam incohatam fortasse ab Hesiodo[1]), excultam a Stesichoro et Euripide, decantatam posteriore aetate silentio praeterire non potuit. Atque quae hoc bibliothecae loco enarrantur, nihil differunt ab Helenae Euripideae versibus 241 ss.; contra infra (c. XXIII fin.) Helenae cum Menelao reditus non ex eodem fonte derivatus esse videtur.

§ 13.

ULIXES. PALAMEDES. CINYRAS. ANII FILIAE.

(cap. XII—XV.)

Omissis eis, quae de belli suscipiendi consilio ab Atridis capto et cum Nestore communicato Apollodorus narraverat (conf. Procl.), epitomator singulas tantum legationes ad duces convocandos missas e medio historiae contextu, quem quomodo restituamus non semper facile est diiudicatu, elegit.

1. Ulixes. Procl.: *ἔπειτα τοὺς ἡγεμόνας ἀθροίζουσιν ἐπελθόντες τὴν Ἑλλάδα. καὶ μαίνεσθαι προσποιησάμενον τὸν Ὀδυσσέα ἐπὶ τῷ μὴ θέλειν συστρατεύεσθαι ἐφώρασαν, Παλαμήδους ὑποθεμένου τὸν υἱὸν Τηλέμαχον ἐπὶ κόλουσιν*[2]) *ἐξαρπάσαντες*. Ipsa epitomae verba: *ὅτι Ὀδυσσεὺς μὴ βουλόμενος στρατεύεσθαι προσποιεῖται μανίαν. Παλαμήδης δὲ ὁ Ναυπλίου ἤλεγξε τὴν μανίαν ψευδῆ, καὶ προσποιησαμένῳ μεμηνέναι παρηκολούθει. ἁρπάσας δὲ Τηλέμαχον ἐκ τοῦ κόλπου τῆς Πηνελόπης ὡς κτενῶν ἐξιφούλκει*, originem ex argumento Cypriorum dilucide indicant. Ipse igitur Palamedes infantem e matris gremio abreptum gladio perforare minatus erat; nam nihil tribuendum est par-

1) conf. Seeliger, Die Ueberlieferung der griechischen Heldensage bei Stesichoros I (progr. Misn. 1886) p. 8.

2) Sic bene emendavit Welckerus traditam scripturam *κόλασιν*.

vulae discrepantiae apud Proclum observatae, qui numerum pluralem antea et postea adhibitum (*ἀθροίζουσιν, ἐφώρασαν, θύουσιν*), cum narrationem uberiorem in brevius contraheret, minus recte hic quoque retinuit. Contra valde differt nostra narratio a recentiore fabulae forma, qualem servavit Hyginus (f. XCV): Palamedem Ulixi, cum equo ac bove[1]) iunctis araret, filiolum cunis sublatum aratro subiecisse. Cum enim veri simile sit, ut in hac fabula, sic etiam in Cyprio carmine cum fictis insaniae vestigiis rationem, qua Ulixis simulationem Palamedes retexit, quocumque modo cohaesisse, oritur suspicio in Cypriis alia amentiae indicia nobis non tradita, quae gladio stricto Palamedes apte interrumpere poterat, inducta esse. Quod ne pro certo affirmemus, impedit nobilis Euphranoris pictura[2]), quam ex utriusque versionis servatae elementis mixtam esse videmus.

2. Palamedes. Ulixi a Palamede simulationis coarguto statim adnecto fabulam, quae ab eo seiungi nequit, de Palamedis morte. Nam quid haec narratio, ex Antehomericorum fine arcessita, inter Cinyram et Anii filias inserta sibi velit, non adsequor. Si autem propriam eius sedem, quam epitomatoris aut librariorum incuria postea mutavit, post cap. XII fuisse statuimus, haec duo capita rerum enarratarum conexu inter se continentur. Nimirum Apollodorus, postquam causam inimicitiarum Ulixis et Palamedis explicavit[3]), data occasione statim

1) Asinum substituit Tzetz. in Lycophr. 818 (p. 800), sed confer eundem ad v. 384.

2) Plin. N. H. XXXV 129: 'Nobilis eius tabula Ephesi est, Ulixes simulata insania bovem cum equo iungens, et palliati cogitantes, dux gladium condens'. Lucian. de domo 30: *Ὀδυσσεὺς τὸ μετὰ τοῦτο δῆθεν ἤδη μεμηνώς, ὅτε συστρατεύει τοῖς Ἀτρείδαις μὴ θέλων· πάρεισι δὲ οἱ πρέσβεις ἤδη καλοῦντες. καὶ τὰ μὲν τῆς ὑποκρίσεως πιθανὰ πάντα, ἡ ἀπήνη, τὸ τῶν ὑπεζευγμένων ἀσύμφωνον, ἄγνοια τῶν δρωμένων· ἐλέγχεται δὲ ὅμως τῷ βρέφει· Παλαμήδης γὰρ ὁ τοῦ Ναυπλίου συνεὶς τὸ γιγνόμενον, ἁρπάσας τὸν Τηλέμαχον ἀπειλεῖ φονεύειν πρόκωπον ἔχων τὸ ξίφος, καὶ προς τὴν τῆς μανίας ὑπόκρισιν ὀργὴν καὶ οὗτος ἀνθυποκρίνεται. ὁ δὲ Ὀδυσσεὺς πρὸς τὸν φόβον τοῦτον σωφρονεῖ καὶ πατὴρ γίγνεται καὶ λύει τὴν ὑπόκρισιν* (Overbeck, Schriftquellen p. 338 et 340).

3) Confer ultima verba Hygini f. XCV: 'tunc Ulixes fidem dedit se venturum; ex eo Palamedi infestus fuit,' et initium f. CV: 'Ulysses, quod

addidit, qua ratione Ulixes posthac inimicum perdiderit. Hoc eo facilius crediderim, quod auctor noster hanc fabulam non ex Cypriis sibi adsumpsit. Etenim in Cypriis Palamedes cum piscatum isset, ab Ulixe et Diomede aquis submersus periit (Paus. X 31, 2 = fr. 18); artificiosae autem insidiae, quae hic Palamedi ab Ulixe struuntur, tragicorum poetarum ingeniis debentur, ut sola restet quaestio difficillima, num quae aut Aeschyli aut Sophoclis aut Euripidis[1]) certa vestigia in nostra relatione deprehendere possimus.

Atque Aeschylum quidem in censum non venire arbitror propter fr. 181:

τίνος κατέκτας ἕνεκα παῖδ' ἐμὸν βλάβης;

Haec verba Welckerus (Aeschyl. Tril. p. 467 s.) Ulixi minus recte tribuit, utpote cuius filiolum Palamedes Ithacae aratro subiectum paene interfecerit. Sed si iudicio non praeoccupato huius versiculi sensum perpendis, non poteris non adsentiri Butlero, qui haec verba Nauplio tribuit post Palamedis mortem cum Ulixe altercanti. Si autem Nauplii aliquae partes in hac tragoedia fuerunt, dramatis scaenam Troiae non fuisse constat. Nimis enim a veri similitudine abhorruisset, Nauplium ignarum periculorum, quae filio impendebant, nescio qua de causa periculum tanti itineris, quod ipsa Achivorum classis non sine Telepho duce perficere potuerat, subisse atque eodem temporis puncto Troiam advenisse, quo filii causa apud iudices ageretur[2]). Contra si Aulide apud Aeschylum Palamedis mortem perpetratam esse statuimus, ex Argolide aut ex Euboeae litore Nauplius, sive ad filium visendum sive

---

Palamedis, Nauplii filii, dolo erat deceptus, in dies machinabatur, quomodo eum interficeret.'

1) Praeter hos Palamedem conscripsit Ἀστυδάμας ὁ νέος, υἱὸς τοῦ προτέρου (scil. Astydamantis). Suid.

2) Nota apud Euripidem (v. Nauck, Fragm. trag. Graec.[2] p. 542) Oeacem, cum fratris mortem patri vellet nuntiare, facere non potuisse, quin Palamedis fatum in remis inscriberet eosque in mare demitteret, sperans fore, ut felici quodam casu a fluctibus ad Nauplium transportarentur. Postquam de Palamedis caede certior factus est, Nauplius, ut filii occisi poenas a Graecis expeteret, Troiam proficiscitur (ep. c. XXII 3 s.). Confer etiam Welcker. Trag. I p. 132 adn. 2.

de Ulixis insidiis certior factus, facile eo proficisci potuit. Cum hac coniectura bene conveniunt, quae se invenisse apud Aeschylum gloriatus erat Palamedes, fr. 182:

καὶ ταξιάρχας καὶ στρατάρχας καὶ ἑκατοντάρχας
ἔταξα, σῖτον δ' εἰδέναι διώρισα,
ἄριστα, δεῖπνα, δόρπα θ' αἱρεῖσθαι τρίτα.

Haec enim non, ut Sophoclis fr. 438, ad famem atque inopiam propulsandam, aut ad decennis obsidionis tempora tarde labentia fallenda, sed ad primam exercitus institutionem pertinent. Fortasse igitur Aeschylus fabulae scaenam ob id ipsum mutavit, ut patrem filii accusati defensorem induceret, quas partes Euripides postea Oeacem agere maluit. Quod si verum est, longe alias insidias apud Aeschylum Palamedi paratas fuisse putandum est, quam quae in schol. Eurip. Or. 432[1]) enarrantur. Nam neque Phryx captivus neque falsidica Priami epistula Aulide adhiberi poterat.

Cum hoc autem scholio, ut ad Apollodorum redeamus, epitomae narrationem apte comparabimus. Scholiasta enim Palamedis inventis fusius expositis sic pergit: *ἐπὶ τούτῳ δὲ φθονήσαντες οἱ περὶ Ἀγαμέμνονα καὶ Ὀδυσσέα καὶ Διομήδην τοιόνδε τι σκευωροῦσι κατ' αὐτοῦ. λαβόντες γὰρ Φρύγα αἰχμάλωτον χρυσίον κομίζοντα Σαρπήδονι ἠνάγκασαν γράψαι Φρυγίοις γράμμασι περὶ προδοσίας, ὡς παρὰ Πριάμου πρὸς Παλαμήδην. καὶ τοῦτον μὲν φονεύουσι, θεράποντα δὲ Παλαμήδους πείθουσι χρήμασιν, ἅμα τοῖς Τρωικοῖς χρήμασι καὶ τὸ γραφὲν πινάκιον ὑπὸ τὴν κλίνην θέσθαι Παλαμήδους. αὐτοὶ δὲ παρελθόντες προδοσίαν κατήγγελλον τοῦ ἥρωος καὶ φωραθῆναι τὴν σκηνὴν ἐκέλευον. εὑρεθέντος δὲ τοῦ πινακίου καὶ τῶν χρημάτων ὑπὸ τὴν κλίνην λίθοις φονεύεται Παλαμήδης.* Artissimum conexum huius

1) Quod si obiter perlustras, Aulide res agi videtur. Sed haec coniectura stare nequit, quod ex diversis elementis haec scholiastae narratio mixta est (conf. § 25, 2). Ceterum variis regionibus fabulam de Palamedis morte insedisse cognoscimus ex Schol. Eurip. Or. 432: *ἄλλως· τὸν Παλαμήδους θάνατον οἱ μὲν ἐν Γεραιστῷ, οἱ δὲ ἐν Τενέδῳ, οἱ δὲ ἐν Κολωναῖς τῆς Τρῳάδος ὑποτίθενται.* Etiam cum Geraesti promunturii mentione, quae de fabula Aeschylea coniecimus, coniungi possunt.

narrationis, cuius originem tragicam nemo non sentit, cum Apollodoro verba ipsa produnt; sed diversae sunt aliqua ex parte machinationes, quibus Palamedes pessumdatur.

Quibus si tertium testem advocaveris Hyginum (f. CV), tres quasi gradus facile distinguemus, quibus, prorsus neglecta Cypriorum versione, dolus Ulixis augetur atque subtilius struitur: Nam in scholio Euripideo a servo quodam corrupto simul cum argento etiam epistula in Palamedis tentorio absconditur, qua re perfecta ipsi insidiarum auctores Palamedem accusant fictique sceleris convincunt. Contra apud Apollodorum solo argento abdito litteras mediis in castris proiciunt, ut hae potius accusatoris vicibus fungantur, ipsi autem totius consilii expertes esse videantur, quod multo providentius atque versutius excogitatum erat. Denique apud Hyginum idem maiore apparatu multisque artificiis efficitur: postquam enim Ulixes milite suo ad Agamemnonem misso hunc ficto quodam somnio impulit, ut castra uno die moverentur, magnum auri pondus, ubi Palamedis tabernaculum fuerat, clam obruitur, deinde epistulam illam ad Priamum perferendam dat Phrygi captivo, quem non longe a castris a milite suo interficiendum curat, epistulam autem super Phrygis corpus positam miles quidam invenit et Agamemnoni tradit, qui auro, quod in epistula memoratum erat, effosso Palamedem ab exercitu universo occidi iubet. — Haec omnia ex fabulis tragicis derivata esse tam aperte elucet, ut singulas scaenas modo non ante oculos nostros agi credamus; quid autem Sophocli aut Euripidi, fortasse etiam Astydamanti tribuamus, difficillimum est diiudicatu. Atque equidem haud scio, an quid lucremur ex Euripidis fr. 589 [Harpocr. p. 61, 5]: *διεκωδώνισε Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τῆς πρεσβείας ἀντὶ τοῦ διεπείρασε καὶ ἐξήτασεν. ἡ δὲ μεταφορὰ ἤτοι ἀπὸ περιπολούντων σὺν κώδωσι τῆς νυκτός, ⟨ὡς⟩ Εὐριπίδης Παλαμήδει* (conf. etiam Schol. Ar. Av. 842). Horum enim custodum mentionem sic fabulae insertam esse suspicor, ut ab eis noctu per castra regionemque castris propinquam ambulantibus mortifera illa epistula investigata et ad Agamemnonem delata sit. Quod si verum est, aut in Apollodori aut in Hygini fabula vestigia Palamedis Euripideae latent.

3. Cinyras. A fabula illustrissima omnibusque temporibus decantata pergimus ad obscuram atque obsoletam. Atque Cinyras ipse, Adonidis pater, qui Paphum condidit (Ap. III 14. 3, 2) haud ignobilis est in historia fabulari: haec autem narratiuncula satis lepida adhuc ex Eustathio solo nota erat, adn. in Hom. *Δ* 20 (p. 827, 34): *ὅτι ὁ Κινύρας . . . Θείαντος ἦν κατά τινας παῖς, βασιλεὺς Κύπρου ζάπλουτος, ὃς παριόντας τοὺς Ἀχαιοὺς ἐξένισεν ὑποσχόμενος καὶ ἐν Ἰλίῳ πέμψειν τὰ ἀναγκαῖα . . . . . ἄλλοι δέ φασιν αὐτὸν ἐν Πάφῳ ὀμόσαντα Μενελάῳ πέμψειν πεντήκοντα ναῦς, μίαν μόνην ἀποστεῖλαι, τὰς δὲ λοιπὰς ἐκ γῆς πλάσαντα πέμψαι καὶ γηίνους ἄνδρας ἐν αὐταῖς, καὶ οὕτω σοφίσασθαι τὸν ὅρκον ὀστρακίνῳ στόλῳ δεξιωσάμενον.* Unde nomen regis, quod in epitoma excidit, facili opera supplemus: *πρὸς ⟨Κινύραν εἰς⟩ Κύπρον ἐλθόντες*[1]), alteram lacunam non item; nam quis fuerit filius ille Mygdalionis, Eustathius non memorat. Neque dubito etiam *γηίνους ἄνδρας ἐν αὐταῖς* ex Eustathio epitomae verbis inserere. Tota autem fabula separari nequit a versibus Homericis *Δ* 19 ss.:

δεύτερον αὖ θώρηκα περὶ στήθεσσιν ἔδυνεν,
τόν ποτέ οἱ Κινύρης δῶκε ξεινήιον εἶναι.
πεύθετο γὰρ Κύπρονδε μέγα κλέος, οὕνεκ' Ἀχαιοὶ
ἐς Τροίην νήεσσιν ἀναπλεύσεσθαι ἔμελλον·
τούνεκά οἱ τὸν δῶκε, χαριζόμενος βασιλῆι.

Hic igitur Cinyras, ut magnum Achivorum regem in Asiam profecturum honoraret, donum ei misit[2]); apud Apollodorum autem, ut regis iram futuram in perfidum socium placaret, legatis thoracem[3]) splendidissimum, qualem Homerus in versibus sequentibus accurate describit, ad Agamemnonem dedit perferendum. Tamen ni fallor etiam nostra narratio ex loco Homerico

1) Nota similem corruptelam apud Zenobium IV 92: *ἐλθὼν δὲ εἰς Κώκαλον*, emendatam ex epitoma: *ἐλθὼν δὲ εἰς ⟨Κάμικον τῆς Σικελίας πρὸς⟩ Κώκαλον* (conf. Mus. Rhen. XLI p. 142 s.).

2) Confer schol. min. in hunc locum, quod exscripsit Eustathius: *οὐ γὰρ ὑπὲρ τοῦ μὴ στρατεῦσαι τὰ δῶρα διδόασιν, ἀλλὰ χαριζόμενοι, φησί, βασιλῆι· ἠκούετο γάρ, φησί, εἰς Κύπρον τὸ μέγα κλέος.*

3) Numerus singularis pro tradito *θώρακας* etiam Apollodoro fortasse restituendus est.

elicita est. Nam cum Cyprii inter Achivorum socios nusquam memorarentur, etiamsi eorum regem Agamemnoni amicum fuisse constaret, eam potius ob causam Cinyram regi donum obtulisse recentiores arbitrabantur, quod promissum auxilium ei mittere noluit, similiter atque Sicyonius ille equum celerrimum (Ψ 296 s.)

Ἀγαμέμνονι δῶκ' Ἀγχισιάδης Ἐχέπωλος
δῶρ', ἵνα μή οἱ ἕποιτ' ὑπὸ Ἴλιον ἠνεμήεσσαν.

Γήιναι νῆες autem et *ὀστράκινος στόλος* haud dubie, ut antea impar illud Ulixis iugum, aut a proverbio usitato repetita sunt aut ex fabula nostra in proverbii consuetudinem abierunt. Qui autem scriptores eis fabulis, quae ab Homero breviter tactae erant, excolendis maiorem operam dederunt, quam carminum cyclicorum poetae? Accedit fabulae singularitas, quae fontem quendam rariorem atque ex posterioris aevi memoria ablatum indicare videtur. Denique ipse carminis Cyprii titulus suadet, ut hanc fabulam Cypriorum propriam in eo non omissam esse statuamus. Quanta enim laude atque gloria Cinyras apud Cyprios floruerit, egregius testis est Pindarus, Pyth. 2, 15 (26) ss.:

κελαδέοντι μὲν ἀμφὶ Κινύραν πολλάκις
φᾶμαι Κυπρίων, τὸν ὁ χρυσοχαῖτα προφρόνως ἐφίλησ' Ἀπόλλων,
ἱερέα κτίλον Ἀφροδίτας· ἄγει δὲ χάρις φίλων ποί τινος ἀντὶ ἔργων ὀπιζομένα.

Quae cum ita sint, hac narratione ex scholiorum tenebris protracta Cypriorum argumentum augere non dubitabimus.

Ex hac autem fabula novae enatae sunt de poenis perfidiae a Cinyra datis. Nam Theopompus[1]) narravit, Agamemnonem post Troiae expugnationem Cyprum profectum esse Cinyramque expulisse. Contra ex scholii et Eustathii in Hom. Λ 20 testimonio Cinyras superbia elatus postea certamen cum Apolline inire ausus victus est et a deo interfectus; quo terrore perculsae quinquaginta eius filiae (nota numerum cum

1) Photius (cod. 176, p. 120 B.) ex Theopompi *λόγοις ἱστορικοῖς* excerpsit: *τίνα τρόπον Ἕλληνες οἱ σὺν Ἀγαμέμνονι τὴν Κύπρον κατέσχον, ἀπελάσαντες τοὺς μετὰ Κινύρου, ὧν εἰσιν ὑπολιπεῖς Ἀμαθούσιοι* (v. Stiehle, Philol. VIII p. 74).

quinquaginta navibus congruentem) in mare desiluerunt Alcyonidesque factae sunt.

4. Anii filiae. In epitoma brevis tantum adnotatio superest de Anii filiarum indole atque facultatibus, sed propter ipsum locum, quo inserta est, memorabilis. Nam quid de Anio eiusque filiabus poeta cyclicus enarraverit, Pherecydis testimonio constat; quam sedem autem in carmine Cyprio haec fabula obtinuerit, certo definire nondum contigit, quoniam ex Procli chrestomathia eius memoria excidit. Tota enim fabulae notitia nititur commentariis in Lycophr. v. 570, quos nunc in scholiis Marcianis a Kinkelio editis ipsos amplectimur, cum antea solae Tzetzae adnotationes ex integriore quidem archetypo, sed minus accurate descriptae nostris in manibus fuerint. Conexum cum servato epitomae loco aperte indicant verba schol. Marc.: *ὃς* (scil. *Ἄνιος*) *γήμας Δωρίππην ἐγέννησε τὰς Οἰνοτρόπους, Οἰνὼ Σπερμὼ Ἐλαΐδα· αἷς ὁ Διόνυσος ἐχαρίσατο, ὁπότε βούλονται, σπέρμα λαβεῖν*, quae plenius exhibet Tzetzes: *ὁπότε βούλοιντο, οἶνον σπέρματα καὶ ἔλαιον ποιεῖν καὶ λαμβάνειν.* Subsequitur Pherecydis fr. 94 sic a Tzetze exaratum: *Φερεκύδης δέ φησιν, ὅτι Ἄνιος ἔπεισε τοὺς Ἕλληνας παραγενομένους πρὸς αὐτὸν αὐτοῦ μένειν τὰ ἐννέα ἔτη, δεδόσθαι δὲ αὐτοῖς παρὰ τῶν θεῶν τῷ δεκάτῳ ἔτει πορθῆσαι τὴν Ἴλιον· [χρησμὸς γὰρ τοῖς Ἕλλησιν ἐδόθη Τροίας κρατῆσαι τῷ δεκάτῳ χρόνῳ· ὑπέσχετο δὲ αὐτοῖς ὑπὸ τῶν θυγατέρων αὐτοῦ τρέφεσθαι]*[1]. *μέμνηται τούτων καὶ ὁ τὰ Κυπριακὰ συγγραψάμενος.* Hanc subscriptionem respiciens Welckerus (Cycl. ep. II p. 108) suo iure dubitare poterat, num tota Pherecydis narratio Cypriis inserta fuerit, ac propter usum aoristi *ἔπεισε* fabulam de Oenotropis a Palamede Troiam advocatis, quam sine auctoris nomine citaverat Tzetzes ad v. 581, carmini Cyprio adscribere conatus est. Sed non debebant hanc viri venerabilissimi coniecturam recipere recentiores philologi[2], quibus ante oculos erat, quam neglegenter Tzetzes

1) Verba uncis inclusa aperte interpolata sunt (*χρησμὸς — χρόνῳ* ne in codicibus quidem exstare videntur).

2) Kinkel, Fragm. ep. Graec. p. 29 s., Bergk, Simonid. fr. 24, Oertel in Roscheri Lex. myth. I p. 353.

adnotatiunculam suam ex pleniore scholii Marciani subscriptione conflaverit: *ἔστι δὲ τοῦτο καὶ παρὰ τοῖς τὰ Κύπρια πεποιηκόσι· μέμνηται δὲ καὶ Καλλίμαχος τῶν Ἀνίου θυγατέρων ἐν τοῖς Αἰτίοις*[1]). Contra rectissime Otto Immisch (Mus. Rhen. XLIV p. 302 s.) ex scholii Marciani forma, quod praeterea *ἔπειθε* pro *ἔπεισε* perhibet, conclusit totam Pherecydis narrationem Cypriis reddendam, sed, quoniam Graeci opes ab Anio oblatas non acceperant, ad priorem huius carminis partem esse referendam.

Quod autem, Anii memoria cum Demodoci cantu θ 73 ss. sagacissime coniuncta, suspicatur Graecos, cum primum Aulide profecti essent, Delum appulisse ibique et Anium eis proposuisse, ut novem annos Deli remanerent, et rixam illam inter Agamemnonem et Achillem accidisse, nunc stare non possunt, cum in epitoma Vaticana Anii mentionem inter Ulixis Menelaique iter ad Cinyram (conf. p. 177) et prodigium Aulidense interpositam esse videamus. Nobis igitur haec tantum optio relinquitur: aut Dictys I 23 genuinam fabulae formam servavit, qui Aulide Anium et Oenotropas Graecis 'frumenta vinum aliaque cibi necessaria' praebuisse refert. Sed haec ad alterum exercitus conventum Aulidensem spectant, nos in priore versamur, antequam Calchantis vaticinium evenerit; atque cap. XV initium: *ὅτι ὄντος ἐν Αὐλίδι τοῦ στρατεύματος* indicare videtur, nihil aliud, quod a Graecis Aulide gestum esset, antea enarratum esse. Sic altera restat coniectura, ut cum legatione Cypria mentionem Anii Oenotroparumque coniungamus. Quae egregie confirmatur scholio ad notissimum Odysseae locum ab Immischio apte huc accitum, ubi Ulixes Nausicaae figuram cum procera quadam palma comparat, quam quondam Deli prope Apollinis aram se adspexisse dicit, ζ 164:

> *ἦλθον γὰρ καὶ κεῖσε, πολὺς δέ μοι ἕσπετο λαὸς*
> *τὴν ὁδόν, ᾗ δὴ ἔμελλεν ἐμοὶ κακὰ κήδε' ἔσεσθαι.*

---

1) Hunc potius fabulam a Welckero Cypriis tributam tractavisse concludo ex scholii Marciani in v. 580 fine: *αὗται δὲ τοὺς Ἕλληνας λιμώττοντας ἐλθοῦσαι εἰς Τροίαν διέσωσαν. μαρτυρεῖ δὲ ταῦτα καὶ Καλλίμαχος.* Eandem versionem etiam Lycophro (v. 581 ss.) recepit.

λέγοι δ᾽ ἂν πολὺν λαὸν οὐ τὸν ἴδιον στόλον, ἀλλὰ τὸν Ἑλληνικόν, ὅτ᾽ ἀφηγούμενος εἰς Δῆλον ἦλθε Μενέλαος σὺν Ὀδυσσεῖ *ἐπὶ τὰς Ἀνίου θυγατέρας, αἳ καὶ Οἰνότροποι ἐκαλοῦντο. ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Σιμωνίδῃ ἐν ταῖς κατευχαῖς* [frg. ·24]. Cur enim Menelai persona hic inserta sit, nemo adhuc explicare potuit. Nam si cum Immischio totius exercitus priorem profectionem subintellegimus, non Menelaus erat memorandus, sed Agamemnon, penes quem summa imperii erat. Contra optime congruit haec versio, cuius vetustatem diserte testatur Simonidis nomen, cum primis verbis antecedentis capitis nostri: *ὅτι* Μενέλαος σὺν Ὀδυσσεῖ *καὶ Ταλθυβίῳ πρὸς ⟨Κινύραν εἰς⟩ Κύπρον ἐλθόντες συμμαχεῖν ἔπειθον.* Redeuntes igitur ab itinere Cyprio Menelaus cum Ulixe ad Delum appulerunt, ut etiam Oenotroparum inexhaustis opibus tanta expeditio adiuvaretur.

Sed una restat difficultas gravissima: nempe quae postea Aulide de decenni belli spatio Calchas cecinit, Anio innotuisse nondum potuerunt. At Anius quoque vates fuit peritissimus, qui artem suam ab ipso Apolline didicerat (Diod. V 62). Ergo duo vates satis languide idem vaticinati sunt, quasi unius divinationi Achivi non satis confisi essent? Iam vide, quo rerum conexu restituto hoc expediatur! Cum legati Delum advenissent, Anius primus decem annos hoc bello consumptum iri eis praedixit simulque eos invitavit, ut cum toto exercitu novem annos hospitio Delio fruerentur. Graeci autem, quae benigne ille obtulerat, aspernati sunt. Quod nemo mirabitur. An tu putas, aliud quid fecisse eos, qui summa belli cupiditate inflammati ingentem expeditionem moliebantur, cum necopinato eis propositum esset, ut cum exercitu ex omnibus Graeciae regionibus convocato novem per annos otiosae quieti se traderent atque decimo tandem ad Helenam recuperandam hostesque ulciscendos pergerent? Num prae ceteris Menelai irae tam ignavum consilium satisfacere potuit? Hoc autem Graecorum responso, opinor, iam tum Apollinis ira in eos incensa est, cuius vestigia satis dilucida etiam in Apollodori relatione statim apparent. Nam in sacrificio Apollini paulo postea facto pro-

digium illud conspicitur, quo vera cecinisse Anium sero cognoscebant. Ex Apollinis ara deinde Tenedi serpens ille prorepsit, qui Philocteta vulnerato effecit, ut una ex eis condicionibus, quae ad Troiae expugnationem necessariae erant, post multos demum annos vix expleri posset. Quid multa? Totum prioris expeditionis irritum atque infelicem exitum non minus quam omnia, quae in Iliade plectuntur Achivi, ex certi cuiusdam numinis indignatione emanavisse facile mihi concedet, quicumque universam poesis epicae indolem perspexerit. Quod si animo complectimur atque parallelismum illum respicimus, quo fabulae Homericae atque cyclicae saepissime inter se cohaerent, firmatur suspicio, Cypriorum poetae, cum hanc carminis partem componeret, ante oculos versatum esse alterum illum Apollinis sacerdotem, Chrysen dico Homericum, qui ab Agamemnone repulsus, innumerabiles calamitates per Apollinem Graecis contraxit[1]).

§ 14.

BELLUM TEUTHRANTEUM.

(cap. XVI et XVII 1—6.)

1. Procl.: *Καὶ μετὰ ταῦτα*[2]) *συνελθόντες εἰς Αὐλίδα θύουσι· καὶ τὰ περὶ τὸν δράκοντα καὶ τοὺς στρουθοὺς γενόμενα δείκνυται, καὶ Κάλχας περὶ τῶν ἀποβησομένων προλέγει αὐτοῖς.* Quae a Proclo breviter excerpta sunt, supplentur copiosa Ulixis narratione *B* 299—332. Cum hac autem, quae in epitoma nostra invenimus, tam bene concinunt[3]), ut, quamquam in Cypriis hoc prodigium vix aliter descriptum fuisse veri simile est, tamen fortasse non ex Cyprii carminis uberiore argumento, sed ex Homeri versibus ea expressa esse coniceres,

1) Sic etiam Heraclidarum expeditio ad Peloponnesum recuperandam suscepta propterea pessime evenit, quod Apollinis vatem in castra profectum, ut speculatorem ab hostibus missum, occiderant (Apollod. II 8. 3).

2) scilicet postquam Palamedes Ulixem, ut expeditionis particeps fieret, permoverat; nam reliqua omnia apud Proclum exciderunt.

3) Confer v. 313 *ὀκτώ, ἀτὰρ μήτηρ ἐνάτη ἦν, ἣ τέκε τέκνα* cum Apollodori verbis: *ὀκτὼ σὺν τῇ μητρὶ ἐνάτῃ.*

nisi una obstaret differentia. Namque Ulixes nullius dei nomine praedicato sic incipit v. 305:

ἡμεῖς δ' ἀμφὶ περὶ κρήνην ἱεροὺς κατὰ βωμοὺς
ἔρδομεν ἀθανάτοισι τεληέσσας ἑκατόμβας[1]),

Apollodorus autem, etiamsi *κατὰ Διὸς βούλησιν γεγονέναι τὸ σημεῖον τοῦτο* addat[2]), haec accidisse, cum Apollini sacrificium conficerent, diserte testatur, quod cum Cypriorum mythopoeia, qualem modo restituere conati sumus, vides congruere. Ceterum si Apollodorus suo Marte certi numinis nomen inserere voluisset, haud dubie, ut Ovidius (Met. XII 11), Iovem praetulisset, quippe qui totius consilii auctor fuisset atque etiam in Iliade serpentem illum in saxum convertisset.

2. Aulide etiam, ut refert Apollodorus, exercitus imperium ita institutum est, ut Agamemnon totius expeditionis dux fieret, Achilles autem, qui tunc quindecim annos natus erat, classi praeficeretur. Cum autem imperii sic bipartiti nullum vestigium neque in carminibus Homericis neque in reliqua traditione epica reperiatur, hoc a Cyprio carmine alienum fuisse puto. Contra recentiores suo iure mirari sibi videbantur, quod summus Achivorum heros non eminentiorem quendam locum, quam reliqui duces, secundum Agamemnonem obtinuerat, atque, cum Graecis Troiam obsidentibus Agamemnon in castris prope urbem remansisset, Achilles autem Asiae litora praetervehens singula oppida cum Priami regno coniuncta expugnavisset[3]), iam a belli primordiis imperii partes sic divisas esse concluserunt. Talia non ad poetae munus pertinent, sed rerum scriptoris ac logographi, qui mirabilem fabularum varietatem in unum atque continuum cyclum redactam ex ordine haud aliter enarrare studuit, quam aliud quoddam bellum seriore aevo re vera gestum[4]).

---

1) et v. 321 *ὡς οὖν δεινα πέλωρα θεῶν εἰσῆλθ' ἑκατόμβας.*

2) conf. Cypr. frg. 1 *Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή* et Calchantis verba *B* 324 *ἡμῖν μὲν τόδ' ἔφηνε τέρας μέγα μητίετα Ζεύς.*

3) v. Hom. *I* 328 reliquosque locos a Fleischero collectos in Roscheri Lex. myth. I p. 14. Ad ipsam Troiae obsidionem hanc imperii partitionem rettulit schol. Hom. *γ* 106.

4) Animadvertas, quam circumspecte Dictys (I 16) singula munera im-

Eiusmodi ea quoque sunt, quae paulo infra de belli spatio decem annis aucto in fine prioris expeditionis exponuntur, c. XVII 4: *ὑποστρεψάντων οὖν τῶν Ἑλλήνων τότε λέγεται τὸν πόλεμον εἰκοσαετῆ γενέσθαι· μετὰ γὰρ τὴν Ἑλένης ἁρπαγὴν ἔτει δευτέρῳ*[1]) *τοὺς Ἕλληνας παρασκευασαμένους στρατεύεσθαι. ἀναχωρήσαντας δὲ ἀπὸ Μυσίας εἰς Ἑλλάδα μετὰ ἔτη ὀκτὼ πάλιν εἰς Ἄργος μεταστραφέντας ἐλθεῖν εἰς Αὐλίδα.* Nam etiam accuratae temporum computationes abhorrent ab epici poetae proprietate, qui quasi longo lino infinitam fabularum seriem adnectat atque in eis varie augendis excolendisque mirum quantum delectetur. In Troico autem cyclo certa causa, recte a Thraemero (Perg. p. 144 ss.) perspecta, suberat, cur bellum produceretur. Nam ubi primum Neoptolemus, quem post bellum Teuthranteum ab Achille Scyri procreatum esse in Cypriis Proclo teste enarratum erat[2]), in belli Troici cyclum inductus est, huic infanti nullum spatium, quo posset adulescere, relictum erat. Sic factum est, ut haec tamquam intercalatio decem annorum iam ea aetate conficeretur, qua nondum omni ex parte absoluta erant carmina Homerica, ut demonstrant versus interpolati *Ω* 765 s. (de quibus vide Thraemerum l. c.):

ἤδη γὰρ νῦν μοι (scil. Helenae) *τόδ᾽ ἐεικοστὸν ἔτος ἐστίν,*
ἐξ οὗ κεῖθεν ἔβην καὶ ἐμῆς ἀπελήλυθα πάτρης.

3. Sequitur ipsum bellum Teuthranteum, cuius descriptio in verbis non minus quam in rebus tam bene concinit cum Procli epitoma, ut de communi origine dubitari nullo modo queat. Proclus enim haec refert: *ἔπειτα ἀναχθέντες Τευθρανίᾳ προσίσχουσι καὶ ταύτην ὡς Ἴλιον ἐπόρθουν· Τήλεφος δὲ ἐκβοηθήσας Θέρσανδρόν τε τὸν Πολυνείκους κτείνει καὶ αὐτὸς ὑπὸ Ἀχιλλέως τιτρώσκεται. ἀποπλέουσι δὲ αὐτοῖς ἐκ*

---

peratoria iam ante belli initium per singulos duces distribuerit: 'dein duces praefectosque navium Achillem Aiacem et Phoenicem destinant. praeponuntur etiam campestri exercitui Palamedes cum Diomede et Ulixe, ita ut inter se diurnas vigiliarumque vices dispertiant' (conf. ib. I 20 fin.).

1) conf. Dict. I 17: 'Haec omnia toto biennio praeparantur.'

2) Apollodoro, qui in Achillis adulescentia describenda (III 13. 6 ss.) versionem posteriore aetate vulgatam secutus erat, haec Cypriorum pars silentio praetermittenda erat.

τῆς Μυσίας χειμὼν ἐπιπίπτει καὶ διασκεδάννυνται. Paulo pleniora Apollodorus de Telepho perhibet, sed haec quidem Cypriorum pars novis supplementis indigere non videtur, postquam Welckerus (Cycl. ep. II p. 139 ss.) multa — fortasse iusto plura — ex longa narratione Philostrati (Heroic. II 14—19) poetae cyclico tribuit. Contra multo certius ea, quae Pindarus compluribus locis[1]) de hac fabula memorat, ex epicae poesis thesauris deprompta esse suspicatur atque ingeniose ex Pindari verbis (Isthm. 8, 54 s.) ἀμπελόεν πεδίον Telephum vitibus constrictum Achillis hastae succubuisse elicuit. Quod re vera in Cypriis exstitisse nunc Apollodori verbis διωκόμενος ἐμπλακεὶς εἰς ἀμπέλου κλῆμα egregie confirmatur. Huic autem relationi novum accrescit supplementum ex schol. Hom. *Α* 59, ubi eadem οἱ νεώτεροι testantur: ἐν Τροίᾳ πλέοντες οἱ Ἕλληνες Μυσίᾳ προσίσχουσιν καὶ ἀγνοοῦντες[2]) αὐτὴν ἐπόρθουν Τροίαν εἶναι νομίζοντες. Τήλεφος δέ, ὁ Ἡρακλέους καὶ Αὔγης τῆς Ἀλέου παῖς, βασιλεύων Μυσῶν καὶ ἰδὼν τὴν χώραν ληλατουμένην, τοὺς Μυσοὺς καθοπλίσας ἐπὶ τὰς ναῦς τοὺς Ἕλληνας συνδιώξας πολλοὺς ἀπέκτεινεν. ὁρμήσαντος δὲ ἐπ' αὐτὸν Ἀχιλλέως οὐ μείνας ἐδιώκετο. ἐν δὲ τῷ τρέχειν ἐμπλακεὶς ἀμπέλου κλήματι τὸν μηρὸν τιτρώσκεται, νεμεσήσαντος αὐτῷ Διονύσου, ὅτι ἄρα ὑπὸ τούτου τῶν τιμῶν ἀφῄρητο. οἱ δὲ Ἕλληνες ὑπέστρεψαν εἰς Ἄργος. Hic verba ὅτι — ἀφῄρητο fortasse interpolata sunt, antecedentia autem, quae fatalis illius lapsus causam explicant, apud Apollodorum non magis possunt desiderari, quam apud poetas epicos, qui quam studiose vel minimas res a certi cuiusdam numinis potentia repetere soliti sint, supra (p. 186) monuimus. Etiam apud Lycophronem, quem haud raro poetarum cyclicorum vestigia legisse veri simillimum mihi videtur, (v. 212 ss.)

(Διόνυσος)
λέοντα θοίνης, ἴχνος ἐμπλέξας λύγοις,
σχήσει, τὸ μὴ πρόρριζον αἰστῶσαι στάχυν
κείροντ' ὀδόντι καὶ λαφυστίαις γνάθοις.

1) conf. Ol. 2, 43 ss., 9, 70 ss., Isthm. 5, 41 s., 8, 54 s.

2) Vides hanc vocem ex antecedentibus Apollodori verbis ἀγνοοῦντες δὲ τὸν ἐπὶ Τροίαν πλοῦν, quae omisit scholiographus, insertam esse.

4. Procl.: *ἔπειτα Τήλεφον κατὰ μαντείαν παραγενόμενον εἰς Ἄργος ἰᾶται Ἀχιλλεύς, ὡς ἡγεμόνα γενησόμενον τοῦ ἐπ' Ἴλιον πλοῦ.* Haec tam breviter enarrata sunt, ut singulorum verborum consensum observare non liceat, quoniam Apollodorus easdem res, et Telephi adventum et sanationem ea condicione ut Achivorum dux fieret impetratam, multo uberius explanavit. Num vero haec omnia ad carmen epicum transferenda sint, per se non constat; nam propter mentionem mendici ac pannosi habitus cuivis ex Aristophanis Acharnensibus noti argumentum tragicum potius ab auctore bibliothecae exscriptum esse exspectaveris. At si Apollodorus aut Aeschyli aut Euripidis Telephum imitatus esset, in tam copiosa narratione vix omisisset notissimum Telephi artificium, de quo multus est Hyginus, tragicum fontem secutus, f. CI: 'monitu Clytaemnestrae Orestem infantem de cunabulis rapuit minitans se eum occisurum, nisi sibi Achivi mederentur'[1]). Accedunt aliae discrepantiae, quae cum per se minoris momenti sint, tamen cum antecedenti argumento coniuncta suadent, ut omnem cogitationem de tragoediae Euripideae hypothesi procul abiciamus. Nam apud Euripidem non Argis, ut in epitoma nostra, sed Mycenis scaenam fuisse evincitur fr. 723, etiamsi fr. 713 *πόλις Ἄργους* invocetur (v. Welcker. Trag. II p. 484 s.). Atque Telephi vulnus non ferrugine hastae corrasa sanatur, sed (fr. 724)

πριστοῖσι λόγχης θέλγεται ῥινήμασιν.

Teneamus igitur omnia, quae Procli epitomae ex Apollodoro nova accedunt, ex carmine Cyprio deprompta esse atque Euripidem, quod memoratu dignissimum est, *τρύχη* illa, licet singulari arte auxerit atque tam miserabiliter descripserit, ut Telephus evaderet omnibus quos unquam in scaenam induxit heroibus *πολὺ πολὺ πτωχίστερος*, iam in cyclicorum scriniis invenisse. — Telephum ab Achille sanatum viam Graecis monstrasse, ut Troiam ipsam adsequerentur, Cypriorum argu-

1) Haec erat celeberrima scaena fabulae Euripideae; de Aeschylo testis est schol. Ar. Ach. 332: *ὁ Τήλεφος κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν Αἰσχύλον, ἵνα τύχῃ παρὰ τοῖς Ἕλλησι σωτηρίας, τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλαβών,* sed interpolatum esse Aeschyli nomen coniecerunt Fr. Vater et W. H. van de Sande Bakhuyzen (Nauck, Fragm. trag. Graec.[2] p. 76 s.).

mento constat. Quod Apollodorus Calchantis auctoritate Telephi praecepta firmata esse addit, ex Homeri versibus de Calchante *Α* 70 s.

ὃς ἤδη τά τ' ἐόντα τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα,
καὶ νήεσσ' ἡγήσατ' Ἀχαιῶν Ἴλιον εἴσω[1])

adiecta esse, qui interpolationes Homericas in carminum cyclicorum epitoma sedulo investigant, statuere non cunctabuntur. Sed non minus facile haec verba Procli epitomae misere imminutae atque praecisae excidere potuerunt, ut iam Cypriorum poeta, bello Teuthranteo atque Telepho in cyclum fabularum Troicarum receptis, sic aliquem conexum cum antiquissima fabula restituerit. In hac enim haud dubie Calchante duce Achivi statim incolumes Troiam pervenerant; sed ubi semel a recta via in Mysiam deiecti sunt, in altera expeditione soli vatis divinationi non magis, quam soli hostis cuiusdam inexpertae benevolentiae[2]) eos confisos esse consentaneum erat.

§ 15.

IPHIGENIA. TENNES. PHILOCTETES.

(cap. XVII 7—13.)

1. Procl.: *καὶ τὸ δεύτερον ἠθροισμένου τοῦ στόλου ἐν Αὐλίδι Ἀγαμέμνων ἐπὶ θήρας βαλὼν ἔλαφον ὑπερβάλλειν ἔφησε καὶ τὴν Ἄρτεμιν· μηνίσασα δὲ ἡ θεὸς ἐπέσχεν αὐτοὺς τοῦ πλοῦ χειμῶνας ἐπιπέμπουσα· Κάλχαντος δὲ εἰπόντος τὴν τῆς θεοῦ μῆνιν καὶ Ἰφιγένειαν κελεύσαντος θύειν τῇ Ἀρτέμιδι, ὡς ἐπὶ γάμον αὐτὴν Ἀχιλλεῖ μεταπεμψάμενοι θύειν ἐπιχειροῦσιν· Ἄρτεμις δὲ αὐτὴν ἐξαρπάσασα εἰς Ταύρους μετακομίζει καὶ ἀθάνατον ποιεῖ, ἔλαφον δὲ ἀντὶ τῆς κόρης παρίστησι τῷ βωμῷ.* Quam aperte haec cum

1) Hanc discrepantiam indicat schol. Hom. *Α* 59.

2) Propterea schol. Hom. *Α* 59, quod ceterum etiam in Telephi sanatione ab Apollodoro non differt, promisisse Telephum addit se Troianos non adiuturum esse. Apud Hyginum (l. l.) oraculum Graecis editum erat sine Telephi ductu Troiam capi non posse. Quod utrum genuinae fabulae formae adscribendum, an a tragicis, quorum versionem Hyginus refert, inventum sit, nescimus.

Apollodoro concinant, iam Mus. Rhen. XLI p. 147 s. monui: itaque etiam supplementa fabulae, quae hic primum detegimus, eidem fonti tribuere non gravabimur. Ac primum quidem a vate non ipsum Iphigeniae nomen pronuntiatum, sed Agamemnoni, ut filiarum suarum pulcherrimam deae iratae immolaret, impositum esse discimus, quod cum solita oraculorum ambiguitate optime convenit. Ceterum hoc responsum fortasse Euripidem permovit, ut mutatam vaticinii formam in Iphigeniam Tauricam insereret v. 18 ss.:

Ἀγάμεμνον, οὐ μὴ ναῦς ἀφορμήσῃ χθονός,
πρὶν ἂν κόρην σὴν Ἰφιγένειαν Ἄρτεμις
λάβῃ σφαγεῖσαν· ὅ τι γὰρ ἐνιαυτὸς τέκοι
κ ά λ λ ι σ τ ο ν, εὔξω φωσφόρῳ θύσειν θεᾷ.

Deinde Ulixem cum Talthybio ad arcessendam Iphigeniam Mycenas missos esse accipimus. Talthybius enim, praeco Agamemnonis, aptissimus nuntius erat, qui regis mandata ut antea ad Cinyram, sic ad Clytaemnestram perferret, Ulixes autem non modo, ut eloquentia sua[1]) Clytaemnestram ad iter suscipiendum permoveret, eum comitatur, sed ipse auctor erat simulati Achillis et Iphigeniae matrimonii[2]), cuius spe virginem in castra eliciebant. Hoc enim *Ὀδυσσέως τέχναις* factum esse Iphigenia ipsa apud Euripidem (v. 24) profitetur. Ut igitur posteriore aevo poetae haud exiguum gloriae titulum Ulixi tribuerunt, quod Achillis latebras ab anxia matre paratas felicissimo dolo indagasset, sic iam in Cypriis eius calliditas, qua in belli exitu urbis expugnatio perpetrata est, Iphigenia Aulidem adducta inclaruisse videtur.

Verba epitomae: *οὐδὲ ἡ Ἄρτεμις* supplere licet ex schol. Hom. *Α* 108: *οὐδὲ ἡ Ἄρτεμις οὕτω ἂν ἐτόξευσε,* nisi multo

1) Sic postea cum Menelao, ut Helenam reposceret, Ulixes Troiam profectus est, ubi quanto opere Troiani eius facundiam admirati sint, testis locupletissimus est Antenor *Γ* 216 ss.

2) Idem indicavit Hyginus f. XCVIII: 'Tunc Ulysses eum (scil. Agamemnonem) consiliis ad rem pulchram transtulit. Idem Ulysses cum Diomede ad Iphigeniam missus est adducendam. Qui cum ad Clytaemnestram matrem eius venissent, ementitur Ulysses eam Achilli in coniugium dari' (conf. Dict. I, 20).

efficacius aposiopesin quam vocant statuere mavis, quod ut praeferamus suadent Apollodori verba a Tzetze in Lycophr. 183 repetita. Idem alteram irae causam in epitoma commemoratam bene omisit, nam vix putaverim hic agni aurei memoriam rursus excitatam esse. — In Cypriis Iphigeniae historia eum perhibuit finem, ut Diana immortalitate eam donaret. Quod non potuit bibliothecae inserere is, qui paulo post, vulgatam fabulam secutus, eam a Taurorum litore cum fratre erat reducturus.

2. Iam numinis ira Iphigeniae sacrificio placata in eo est, ut Troiam Achivi proficiscantur. Procl.: *ἔπειτα καταπλέουσιν εἰς Τένεδον, καὶ εὐωχουμένων αὐτῶν Φιλοκτήτης ὑφ' ὕδρου πληγεὶς διὰ τὴν δυσοσμίαν ἐν Λήμνῳ κατελείφθη.* — Quas adhuc consideravimus fabulas, omnes praeter legationes ad Cinyram Aniumque a Proclo aut fusius expositae aut brevius quidem commemoratae erant, Tennae[1]) autem mentionem ibi frustra quaesiveris. Sed priusquam inquiramus, num omnino Tennae locum in carmine Cyprio concedamus, ea seponenda sunt, quae aliunde illata esse ipsa Apollodori verba demonstrant, totam dico de Tenne et Phylonome fabellam *Κύκνος γὰρ — εἰς γῆν κατέχωσε.* Nam Tennae exsilium iam in verbis antecedentibus commemoratur, et sic quidem, ut hominem arca inclusum et in mare deiectum *φυγαδευθῆναι ὑπὸ τοῦ πατρὸς* vix apte dicere queas. Haec autem ipsa Apollodori verba: *οὗτος ὑπὸ τοῦ πατρὸς φυγαδευθεὶς ἐνταυθοῖ κατῴκει*, cum eis quae historiolam a nobis segregatam insequuntur: *προσπλέοντας οὖν Τενέδῳ τοὺς Ἕλληνας ὁρῶν*

1) Ut de nominum formis pauca addam, *Τέννης* duplicata littera *ν* praeferendam esse docent praeter fabulae titulum Aristoteles apud Strab. VIII p. 380, Diod. V 83, Schol. Hom. *Α* 38, Con. 28, Paus. X 14. 2. Pausanias, ut multa alia, sic etiam Phylonomes nomen recte servavit (Tzetz. in Lycophr. 232 iam *Φιλονόμη* legit et *Τένης*, sed cod. Vitt. 2 et 3 *Τέννης*). Contra in patris nomine Apollodorus (et Tzetz. cod. Ciz. et Vitt. 1) meliorem formam *Τράγασος* pro Pausaniae scriptura *Κράγασος* retinuit. Sic enim scribendum esse apparet ex Troadis oppido *Τράγασαι* ab Hesychio memorato, confer praeterea Epiri oppidum *Τράγασος* ab Hellanico (Steph. Byz.) citatum. De Eumolpo, qui apud Plutarchum, Schol. Marc. Lycophr., Tzetzen (praeter cod. Ciz. et Vitt. 1) appellatur *Μόλπος*, conf. Muelleri adn. in Tzetz. p. 497.

Τένης ἀπεῖργε, tam apte coniunguntur, ut sic genuinum narrationis contextum restituisse nobis videamur.

Huic igitur mythographus noster Tennae adulescentiam inculcavit, eadem opinor cogitatione adductus, qua Diodorus V 83, 4: *οὐ παραλειπτέον δ' ἡμῖν περὶ τῶν παρὰ τοῖς Τενεδίοις μυθολογουμένων περὶ τοῦ κτίσαντος τὴν πόλιν Τέννου*. Haec autem artis tragicae lecythion redolere suspicaremur, etiamsi non superesset tragoediae titulus sive ab Euripide sive ab alio quodam poeta compositae; *Τέννης* enim una erat ex tribus fabulis, quae Euripidis nomine falso exornatae esse ferebantur[1]). Nam hoc dramate non Tennae mortem, sed Phylonomes funestum amorem expressum esse paulo confidentius affirmare potuit Welckerus (Trag. II p. 500). Quamquam vehementer erraverit, si quis ex Danaes Hippolytique pannis ab Euripide aut eius imitatore hanc fabulam consutam esse coniecerit. Namque Phylonomes scelestum amorem tibicinisque calumnias tamquam tragoediae semina iam antiquitus in hac fabula Tenediorum latuisse constat proverbio *Τενέδιος αὐλητής*[2]) ac vetusto Tenediorum more, quo tibicinibus, ne Tennae templum intrarent, erat interdictum[3]). Unde concludimus nostram fabellam frequentem fuisse non modo in paroemiographorum thesauris, sed etiam apud *κτίσεων* et *πολιτειῶν*[4]) scriptores. Cum autem Apollodorus neque proverbium neque morem illum commemoraverit, quamvis raras populorum institutiones atque caerimonias a fabulis saepe repetierit, probabile fit non tali a fonte hanc Apollodori narrationem

1) Vita Euripidis p. 135, 33. De Critia cogitavit Wilamowitzius (v. Nauck, Fragm. trag. Graec.[2] p. 578).

2) Steph. Byz. s. v. *Τένεδος*: *καὶ παροιμία ‛ Τενέδιος αὐλητὴς ἐπὶ τῶν τὰ ψευδῆ μαρτυρούντων. τὸν γὰρ αὐλητὴν ἡ Φυλονόμη πρὸς Κύκνον ἤγαγε, μαρτυροῦντα ὅτι Τένης αὐτὴν ἤθελε βιάσασθαι.* Contra aliud proverbium *Τενέδιος πέλεκυς*, quod a Tenne derivaverunt Paus. X 14, 3 et Conon 28, longe aliter multoque probabilius explicavit Aristoteles in Tenediorum re publica (v. Steph. Byz. ib.), quamquam Tennae historiam ei notam fuisse statim videbimus.

3) Diod. V 83, 4, Plut. Quaest. Graec. 28. Heracl. Pont. exc. VII.

4) In Heraclidis Pontici q. f. excerptis c. VII (FHG II p. 213) Aristotelis narratio e re publica Tenediorum nobis servata esse videtur, quae in universum cum nostra consentit.

manavisse, sed ex tragicorum argumentorum corpore, quo frequenter eum usum esse vidimus, exscriptam esse.

Iam mittamus hoc quasi bibliothecae interpolamentum ab ipso auctore illatum, et ad Graecos Troianorum litori appropinquantes redeamus. De proelio inter Graecos et Tenedios commisso tacet Proclus, sed vix veri simile est Achivos a prima Asiae natione, cuius orae naves appellerent, sine pugna hospitaliter exceptos esse. Tennen autem, quem urbis conditorem Aristoteles praedicaverat summaque veneratione a Tenediis cultum esse testis est Diodorus (V 83), etiamtum vixisse consentaneum est, cum paulo postea Achilles Cycnum Tennae patrem occiderit. Quibus si addiderimus, quod Tenedi incolae, ut Diodorus[1]) et Plutarchus referunt, anxie cavebant, ne in Tennae sacello nomen Achillis, quippe qui eum interfecisset, pronuntiarent, facile nobis persuadebimus Apollodorum hic in Cyprii carminis epitoma exscribenda perrexisse, fabulamque de Tennae morte, cui recentiorem originem nuper etiam Fleischerus (Rosch. lex. myth. I p. 33) vindicavit, iam a poeta cyclico excultam esse. Quid denique veri similius est, quam fabulas quasdam populares earum quoque regionum, in quibus bellum ipsum gestum esset, receptas esse in cyclum Troicum, in quem, ut totius historiae fabularis opus finiret atque coronaret, omnium heroum progenies undique a poetis accita est? Animadvertas praeterea, quam diligenter epici poetae more singulas res, quae per se nullius momenti sint, in brevissima narratione tamen indicaverit Apollodorus: '*ἀπεῖργε βάλλων πέτρους*', '*πληγεὶς κατὰ τὸ στῆθος*'. — Suppleverit quispiam hanc narrationem adnexa Hemitheae morte ex Tzetzae adn. in Lycophr. 232: *ἡ δὲ Ἡμιθέα διωκομένη ὑπ᾽ αὐτοῦ φεύγουσα τὴν μῖξιν εἰς γῆν κατεπόθη* (conf. Plut. Quaest. Graec. 28), sed demonstrari nequit, Tzetzen hoc loco praeter scholia vetera, quae aperte exscripsit, Apollodorum adhibuisse, etiamsi Laomedontis et Tragasi nomina, quae in scholio desunt, ex bibliotheca inserta esse videantur. Quis enim praefracte negabit Tzetzen in

1) *κατὰ δὲ τοὺς Τρωικοὺς χρόνους Ἀχιλλέως τὸν Τέννην ἀνελόντος, καθ᾽ ὃν καιρὸν ἐπόρθησαν οἱ Ἕλληνες τὴν Τένεδον, νόμον ἔθεσαν οἱ Τενέδιοι μηδένα ἐξεῖναι ἐν τῷ τεμένει τοῦ κτίστου ὀνομάσαι Ἀχιλλέα.*

suo scholiorum Lycophroneorum exemplari, quod multo uberiorem commentarium, quam codex Marcianus, continuisse constat, haec quoque nomina invenisse?

Non minus caute a Cypriorum versione seiungendum est oraculum, quod in fine narrationis Apollodoreae a Thetide filio editur fore ut, si Tennen interfecisset[1]), Apollinis manu interiret. Nam ipse Apollodorus Tennen Cycni filium esse affirmat, *ὡς δέ τινες Ἀπόλλωνος*. Horum igitur versio hic continuatur. Et quam languidus esset vaticinii eventus decem annos dilatus! Recentiores autem, ut Lycophro (240 s.) et Plutarchus (l. l.) ex hoc oraculo servum sibi finxerunt, Mnemonis nomine satis dilucide signatum, quem post hoc proelium ab Achille, quod se a Tennae caede non retinuisset, occisum esse tradunt.

3. Devictis Tenedi incolis Achivi hanc primam victoriam sacrificio epulisque celebrant, quae infaustissime exierunt. Nam praeter rixam inter Agamemnonem et Achillem ortam, quam Apollodorus omisit, Philoctetes a serpente vulneratur et, cum sanari non posset, ab Ulixe Lemnum in insulam deportatur. Atque quae uno verbo Proclus indicavit *εὐωχουμένων αὐτῶν*, nunc apte illustrantur mythographi descriptione, qui, cum Apollini hostiam mactarent, huius numinis ex ara, ut Aulide quondam (v. p. 186 s.), hunc quoque serpentem funestum prorepsisse exponit. Neque restat dubitatio, quin etiam pauca, quae de victu aegrotantis herois addit, ex epico cyclo deprompta sint, unde postea in tragicorum fabulas translata sunt.

§ 16.

HELENAE EXPOSTULATIO. PROTESILAUS.

(cap. XVII 14—17.)

Iam ad ipsum belli initium perventum est, de quo haec Proclus perhibet: *ἔπειτα ἀποβαίνοντας αὐτοὺς εἰς Ἴλιον εἴργουσιν οἱ Τρῶες, καὶ θνήσκει Πρωτεσίλαος ὑφ᾿ Ἕκτορος. ἔπειτα Ἀχιλλεὺς αὐτοὺς τρέπεται, ἀνελὼν Κύκνον τὸν Ποσειδῶνος. καὶ τοὺς νεκροὺς ἀναιροῦνται, καὶ διαπρεσβεύονται*

1) conf. schol. Marc. in Lycophr. 241: *εἵρματο γὰρ αὐτῷ τότε ἀποθανεῖν, ὅταν ἀποκτείνῃ ἐκ τῆς Ἀπόλλωνος γενεᾶς τινα.*

πρὸς τοὺς Τρῶας τὴν Ἑλένην καὶ τὰ κτήματα ἀπαιτοῦντες· ὡς δὲ οὐχ ὑπήκουσαν ἐκεῖνοι, ἐνταῦθα δὴ τειχομαχοῦσιν.

1. De Helenae expostulatione, ut rerum ordinem ab Apollodoro servatum retineamus, quae paucis verbis Proclus narrat, compluribus Iliadis locis[1]) tam dilucide illustrantur, ut plenam inde huius facti narrationem construere facili opera queas, a qua Cypriorum versio vix differebat, quoniam nusquam alibi haec legatio aliter describitur. Menelaus igitur cum Ulixe Troiam perveniunt atque hospitio excipiuntur ab Antenore, qui in contione frustra Troianis persuadere studet, ut Helenam cum raptis thesauris Menelao restituant. Quod cum illi negassent, hospites suos ab insidiis, quas eis Antimacho auctore Dardani paraverant, defendit. Haec vestigia veteris fabulae Apollodorus quoque diligenter secutus est; nam nihil ex eis, quae poetae posterioris aetatis de Antenoris proditione confinxerunt, admisit. Sed una restat discrepantia; nam in Cypriis, ut Proclus testatur, Achivi tum demum, cum primum proelium, in quo Protesilaus et Cycnus occiderant, commissum erat, legatos Troiam miserunt, contra in epitoma Vaticana iam priusquam naves ad litus Troianorum appulerunt, ut legatione controversiam gravissimam componerent, operam dederunt. De rerum ordine sic paulum mutato convenit inter Apollodorum et schol. Hom. *Γ* 206: *πρὸ τοῦ στρατεῦσαι τοὺς Ἕλληνας εἰς Τροίαν ἦλθον πρέσβεις Ὀδυσσεὺς καὶ Μενέλαος ἀπαιτοῦντες Ἑλένην, ἐν οἷς* (*ᾧ* Nauckius) *τῶν ἄλλων αὐτοὺς μεθ᾽ ὕβρεως διωξάντων μόνος Ἀντήνωρ ξενίζει φιλοφρόνως*; et multo distinctius in cod. Lips.: *ὅτε γὰρ ἐκ Τενέδου ἐπρεσβεύοντο οἱ περὶ Μενέλαον, τότε Ἀντήνωρ ὁ Ἱκετάονος ὑπεδέξατο αὐτοὺς καὶ δολοφονεῖσθαι μέλλοντας ἔσωσεν.* Ab hoc autem scholio non sine magna probabilitate Welckerus (Trag. I p. 117 ss.) profectus est, cum Sophoclis tragoediam, cui titulus erat *Ἑλένης ἀπαίτησις*, ingeniose refingeret. A Sophocle igitur fortasse hoc novatum est, nam consentaneum videbatur Achivos, priusquam omnino manus cum Troianis consererent, illos adhortatos esse, ut Helenam redderent pacemque facerent.

1) *Γ* 205—224, *Δ* 124 s. 138—141. Conferas etiam, quae de Helena iterum expostulata in Troianorum concilio aguntur *Η* 347 ss.

2. Troianorum perfidia ad summam iram incensi Achivi hostes aggrediuntur et Protesilaus Hectoris manu occidit. Haec brevis Procli adumbratio suppletur versibus Homericis *B* 700 ss.:

> τοῦ δὲ καὶ ἀμφιδρυφὴς ἄλοχος Φυλάκῃ ἐλέλειπτο
> καὶ δόμος ἡμιτελής· τὸν δ' ἔκτανε Δάρδανος ἀνὴρ
> νηὸς ἀποθρώσκοντα πολὺ πρώτιστον Ἀχαιῶν.

Quis fuerit Dardanus ille vir, commentatores certant, quorum alii Euphorbum, alii Achaten memorant. Cypriorum auctor, quem Sophocles in fabula quae inscripta erat *Ποιμένες* secutus est, ipsum Hectorem induxit, eundemque ex pleniore carminis Cyprii argumento Apollodorus recepit; nam Euripides, cuius vestigia in posteriore narrationis Apollodoreae parte manifesta sunt, ex Mayeri coniectura (Herm. XX p. 102) Hectorem non laudavisse videtur. Neque dubito, quin etiam oraculum de Protesilai morte, quale legitur apud Apollodorum, carmini epico restituendum sit, quamquam Mayerus (l. l. p. 119) hoc ab Euripide demum excogitatum esse suspicatus est. Nam quod vir doctus bene observavit hoc vaticinium, ubicumque citatur[1]), eisdem fere verbis prolatum esse, quae ex sagaci Wilamowitzii coniectura apud Euripidem (sive in hypothesi, sive quod cum Mayero p. 104 probabilius iudico, in prologo) exstiterunt:

> χρησμοῦ δοθέντος πρῶτον ἐν Τροίᾳ πεσεῖν
> τὸν ...
> ... προπηδήσαντα τῆς νεὼς ...,

ad oraculi formam in epitoma nostra servatam non quadrat. Praeterea hoc praesagium in Euripidis fabula, in qua non Protesilai mors, sed mirus reditus ad uxorem ageretur, non tanti momenti erat, ut persuadere mihi possem Euripidem, nisi in fonte epico id iam invenerat, hic aliquid de suo addidisse. Contra ea aetate, qua epica poesis florebat, fortasse quaestio orta est, cur non summus Achivorum heros primus in Troianorum litus desiluerit primusque cum hostibus manus conseruerit; unde tale

1) Tzetz. in Lycophr. 245, Chil. II 762, Phaenias apud Eustath. ad λ 521.

vaticinium iam fabulis Antehomericis accrescere potuit. Neque omnino propter cunctam poesis epicae indolem supra a nobis commemoratam atque infra iterum afferendam[1]) veri simile esse censeo, tam memorabile factum sine certa deorum voluntate evenisse. In qua fortasse agnoveris reconditiorem quendam sensum, in multis multarum nationum fabulis varie expressum: non concedi ab immortalibus magno conamini felicem eventum, nisi unus ex sociis, atque is potissimum, qui ipsius rei initium fecerit, cum morte sua eum quasi compensaverit.

Teneamus igitur priorem relationis Apollodoreae partem usque ad verba *ὑφ' Ἕκτορος θνήσκει* ad Cypria referendam esse. Sequentia autem: *τούτου γυνὴ Λαοδάμεια καὶ μετὰ θάνατον ἤρα*[2]), quae cunctam posteriorem fabellam breviter complectuntur, transitum praebent ad ea, quae ab antiquissima fabula aliena esse ipsum nomen vulgatum Protesilai uxoris testatur, quam in Cypriis Polydoram fuisse scimus ex Paus. IV 2. 7 [frag. 14]. Haec autem originis tragicae vestigia aperte prae se ferunt, neque relinquitur ulla dubitatio, unde ea petierit mythographus. Namque Euripides tam admirabili arte exiguo fundamento ab epicis poetis posito Protesilai fabulam superstruxit, ut ex illo omnes, qui postea Protesilai fata aut diligenter excoluerunt, aut in transcursu tetigerunt, pendeant.

Atque quo doctius atque subtilius nuper Maximilianus Mayer (Herm. XX p. 101—143) quam plenissimam huius tragoediae imaginem testimoniis undique congestis atque ingeniose adhibitis depinxit, eo magis iuvat hanc adumbrationem nunc epitomae nostrae ope supplere. Magnae enim grates Apollodoro agendae sunt, quod, ut alibi observavimus, principalem quandam tragoediae scaenam paucis his verbis: *Λαοδάμεια δὲ ἰδοῦσα καὶ νομίσασα αὐτὸν ἐκ Τροίας παρεῖναι τότε μὲν ἐχάρη,* tam distincte descripsit, ut inde novum acumen Euripidis arti addatur. Quae enim maritum inexspe-

---

1) Confer § 13 fin. et quae de Echione, qui primus ex equo ligneo desiluit, disputavimus § 20, 3 fin.

2) Confer verba Eustathii ad *B* 325, 22 ss.: *Πρωτεσίλαος καὶ μετὰ θάνατον ἐρῶν τῆς γυναικός*, cuius narrationem ex Euripidis tragoedia ortam esse recte perspexerunt viri docti.

ctato intrantem Troia redisse confidit, ea mortuum eum esse nondum sibi persuasit. Ergo statuendum est, apud Euripidem, sive incertus quidam rumor sive certus nuntius de Protesilai morte Phylacen pervenerat, Laodamiam ei fidem adhuc negasse. Neque in fabulae fragmentis quidquam exstare video, quod huic coniecturae adversetur. Nam prologi verba, quibus de vero rerum statu spectatores certiores fiebant, a deo quodam pronuntiata sunt (de Venere, cuius irae apud Eustathium fatalis amoris origo tribuitur, apte cogitavit Robertus); atque Laodamiae adseverationem (fr. 655):

οὐκ ἂν προδοίην καίπερ ἄψυχον φίλον

non ad maritum defunctum, sed ad eius simulacrum pertinere cognoverunt Kiesslingius et Mayerus (p. 109). Immo vero, quae de fabulae Euripideae argumento viri docti sagaciter enucleaverunt, sic quasi novis luminibus illustrantur. Propterea nimirum, quod Protesilaum suum adhuc in vivis esse confidit, Laodamia tam pertinaciter alius mariti nuptias a patre oblatas recusat, ob eandemque causam, ut firmaret atque stabiliret vanam suam opinionem, simulacrum illud sibi fingit. Atque egregie haec coniectura congruit cum Ovidii Heroide, ubi Laodamia iam, cum classis nondum Troiam profecta esset (v. 3), imaginem ceream sibi fabricavit, quam tamquam absentem maritum fovet atque amplectitur; conf. 13, 149 ss.:

dum tamen arma geres diverso miles in orbe,
  quae referat voltus est mihi cera tuos.
illi blanditias, illi tibi dedita verba
  dicimus, amplexus accipit illa meos.
crede mihi, plus est, quam quod videatur imago
  adde sonum cerae — Protesilaus erit.

Denique, si Laodamiam adhuc de Protesilai morte dubitare statuimus, etiam ea difficultas evanescit, quam in initio narrationis tragicae apud Eustathium latere nemo adhuc sensit: *Πρωτεσίλαος καὶ μετὰ θάνατον ἐρῶν τῆς γυναικὸς κατὰ μῆνιν Ἀφροδίτης ᾐτήσατο τοὺς κάτωθεν ὄντας ἀνελθεῖν, καὶ ἀνελθὼν εὗρεν ἐκείνην ἀγάλματι αὐτοῦ περικειμένην.* Quae si conferas cum Hygini verbis f. CIII: 'Quod uxor Laodamia Acasti

filia cum audisset eum periisse, flens petit a dis, ut sibi cum eo tres horas colloqui liceret', iure mireris, quod apud Euripidem Pluto non Laodamiae precibus commotus, cuius in amore totius tragoediae summa posita erat, sed a Protesilao rogatus eum ad uxorem reduci iussit. Contra in rerum conexu qualem nos refinximus omnia recte sese habent, nam Laodamia, quae maritum nondum occisum esse putabat, omnino non potuit talibus precibus deos adire.

Sic, cum subito adest Protesilaus, quem non Troia revertisse, sed paucas in horas ab inferis remissum esse primo obtutu non perspicit[1]), ea tandem evenisse opinatur, quae sperare nunquam desierat. Iam ipse quaeso tibi effingas, quanta arte excellentissimus ille artifex in mulierum moribus describendis miram illam affectuum atque perturbationum varietatem, in quas deinceps Laodamiae animus abripiebatur, depinxerit: nobilem uxoris confidentiam, quae etiamsi in unam omnes invehantur atque ipse pater invitae novum matrimonium obtrudat, Protesilaum sibi ereptum esse negat, deinde laetitiam exsultantem, cum revera adesse maritum ad conficiendas nuptias sentiat, transitum denique a gaudio summo ad summum dolorem, cum vanam fuisse spem suam intellegat, funestamque desperationem, quae ad mortem quam citissime oppetendam eam impellit, ut maritum defunctum in Tartarum comitetur.

Hoc enim in Protesilai Euripideae restitutione ceterum sagacissime a Mayero excogitata probare nequeo, quod Laodamiam a marito denuo sibi erepto rursus ad imaginis cultum se convertisse censet: quam cum pater comburi iussisset, filiam desperantem mortem sibi consciscere maluisse, quam ultimam quasi partem mariti sibi relictam amittere. Nam cum vir doctus recte perspexisset, ultima Hygini verba fab. CIV: 'quo (scil. in pyram ad signum comburendum factam) se Laodamia dolorem non sustinens immisit atque usta est', ex inepta Euadnes

1) Nam consentaneum est maritum, qui ad novam nuptam visendam veniret, non eo habitu, ut umbram eum esse ab inferis redeuntem statim perspiceretur, in scaenam inductum esse. Quod confirmatur sarcophago Neapolitano (Baumeister, p. 1422), ubi Protesilaus sola chlamyde indutus ex Orci porta emergit (conf. etiam Mayerum p. 126 s.).

fabulae imitatione ab interpolatore addita, a tragoediae argumento aliena esse, contra in fine fab. CIII: 'quod iterum cum obisset Protesilaus, dolorem pati non potuit Laodamia' ipsius mortis descriptionem excidisse, non debuit quasi per aliam portam Laodamiae mortem cum simulacri crematione coniunctam rursus inducere[1]). Sic enim sublime huius tragoediae aedificium ipse ruinae tradidit. Mitto, quod ipse Kiesslingio concessit a nostro sensu atque ratione toto caelo diversum esse, quod a marito amisso ad imaginem ceream fovendam redierit; nam multa, quae apud Euripidem occurrunt, a nostro iudicio abhorrent. Sed hoc, puto, ipse sensisset summus ille artis tragicae magister, quanto opere ingentem antecedentium scaenarum vim tragicam hac appendice languidissima adsuta debilitaret atque frangeret. Adiuvatur sententia nostra ea scaena, quae in latere sarcophagi Neapolitani expressa est. Quamquam enim haud ignoro in sarcophagis saepissime complurium scaenarum elementa in unam esse contracta, tamen eo, quod Laodamia iuxta Protesilaum sedens iam mucronem manu tenet, indicari videtur statim post mariti descensum in Tartarum Laodamiam, cum dolorem pati non posset, manum sibi intulisse.

Quomodo autem poeta ad simulacrum illud, cuius quantae partes fuerint in prioribus fabulae scaenis, praeter sarcophagos docet altera Hygini narratio f. CIV, etiam in fine redire potuerit, ipse Mayerus quasi digito monstravit p. 125: 'Das orgiastische dieses von der Gattin getriebenen Cultus konnte dann am Schlusse, in der bei Euripides üblichen Weise, als *αἴτιον* für den bakchischen Charakter des Protesilaoskultes verwerthet werden'. Sed non satis respexit vir doctus, ipso simulacro a quo oriundus erat hic cultus combusto, hoc vix fieri potuisse. Itaque hunc potius tibi proposuerim tragoediae exitum: non uxoris amorem abrepto marito, sed patris

1) Artificiosa est interpretatio versuum Ausonii (Cupid. cruciat. 35 s.):

> praereptas queritur per inania gaudia noctes
> Laudamia duas vivi functique mariti,

quibus fabulae suae vestigia inferre studet. Nam praereptae noctes vivi functique mariti nihil aliud significare volunt, quam nuptias quondam non finitas et noctem cum Protesilai umbra peractam.

iracundiam post filiae obitum in imaginem rursus se convertisse. Acastus igitur, Laodamiae amissae luctu atque ira incensus, cum ipsum filiae raptorem ulcisci nequiret, eius imaginem quidem in flammas deici iubet. Tunc ipse Bacchus in machina visus, quominus hoc mandatum perficeretur, impedit ac Protesilai cultum heroicum, qualem coeperat Laodamia, insignibus Bacchicis exornatum instituit. —

Hic abrumpuntur epitomae Vaticanae Antehomerica, sed non dubium est, quin epitomator, a Protesilai morte ad Laodamiae fatum digressus, absoluto fabulae Euripideae argumento ad primum Graecorum et Troianorum proelium redierit et Cycni mortem enarraverit perpetratam ab Achille, qui iam hac prima occasione, ut saepius postea, Achivis hostium impetu pressis auxilium tulerat. Nam Apollodori verba de Protesilao: *καὶ κτείνας οὐκ ὀλίγους τῶν βαρβάρων ὑφ᾽ Ἕκτορος θνήσκει*, docent non tam subito succubuisse Protesilaum, ut eodem temporis puncto, quo nave appulsa in litus desiluisset, interceptus ab Hectore perfoderetur. — Quid in extrema Antehomericorum parte mythographus noster tractaverit nescimus; sed non crediderim eum fabulam reconditiorem de mira Achillis Helenaeque congressione, quae in epitoma Procliana sequitur, in bibliothecam recepisse. Contra Troilus ab Achille occisus tam celeber etiam posteriore aetate fuit, ut eum vix omiserit. Palamedis autem mortem ex tragico fonte derivatam iam cum Ulixis et Palamedis inimicitiis Apollodorum coniunxisse supra vidimus (§ 13, 2). Neque ullo modo desiderari poterant, quae in fine Cypriorum de Briseide et Chryseide exposita transitum ad Iliadis argumentum parabant.

Cap. IV.

HOMERICA.

(cap. XVIII.)

Homerica quomodo expressa fuerint in bibliotheca, concludere licet ex parvo fragmento, quod nescio qua de causa epitomator nobis servavit, sumpto ex Iliadis libris *E* 330 ss.

Z 119 ss. *H* 54 ss.: de Venere a Diomede vulnerata, de Diomedis cum Glauco colloquio, atque Aiacis Hectorisque certamine. Nimirum Apollodorus satis brevi ac pressa enarratione Iliadis argumentum proposuit, dummodo continuum atque integrum eius textum ab epitomatore in excerpta translatum esse credamus. Quod demonstrari quidem nequit; nam etiamsi laudandus sit, quod omnia, quae ad rerum summam atque progressum non pertinent, ut Hectoris cum uxore colloquium quamvis celeberrimum omisit, tamen iure exspectaveris eum, qui vulnus Veneri a Diomede illatum mentione dignum putavit, etiam ipsum Martem ab eodem heroe sauciatum esse commemoravisse.

Licet autem paulo uberius fuerit fabularum Homericarum memoria, quam ex fragmento nostro suspiceris, tamen tota narrationis indoles ea remanet, ut Apollodorum ad eam conficiendam magna Homeri volumina evolvisse parum credibile sit. Atque haec coniectura egregie confirmatur, si epitomae textum comparamus cum brevioribus Iliadis librorum argumentis, quae Bekkerus cum Iliadis paraphrasi ex codice Parisino 2690 edidit. Haec integra exscribo, quo commodius rationem, quae inter utramque relationem intercedat, perspicias.

Epit. Vat.: *ὅτι Διομήδης ἀριστεύων Ἀφροδίτην Αἰνείᾳ βοηθοῦσαν τιτρώσκει*	*E*: *Διομήδης Ἀθηνᾶς αὐτῷ συλλαμβανομένης ἀριστεύει καὶ πολλοὺς ἀναιρεῖ τῶν πολεμίων, τιτρώσκει δὲ Ἀφροδίτην κατὰ τῆς χειρὸς καὶ Ἄρεα κατὰ τοῦ κενεῶνος. Αἰνείαν δὲ πληγέντα ὑπ' αὐτοῦ λίθῳ Ἀπόλλων διασώζει. Τληπόλεμος δὲ ὑπὸ Σαρπηδόνος ἀναιρεῖται. τῷ δὲ Ἄρει Ζεὺς ἐπιπλήττει. ἰᾶται δὲ αὐτὸν Παιήων ὁ τῶν θεῶν ἰατρός.*
	Z: *τῶν θεῶν ἀποστάντων τῆς μάχης οἱ Ἕλληνες πολλοὺς ἀναιροῦσι τῶν Τρώων. Ἑλένου δὲ συμβουλεύσαντος Ἕκτωρ εἰς τὴν πόλιν ἄνεισι καὶ τῇ μητρὶ Ἑκάβῃ κελεύει εὔξασθαι τῇ Ἀθηνᾷ καὶ ὑποσχέσθαι αὐτῇ δώδεκα βοῶν θυσίαν, ὅπως τὸν Διομήδην ἀποστήσειε τῆς μάχης.*
καὶ Γλαύκῳ συστὰς ὑπομνησθεὶς πατρῴας φιλίας ἀλάσσει τὰ ὅπλα.	*τέως δὲ ὄντων αὐτῶν ἐν τῷ πεδίῳ Γλαῦκος καὶ Διομήδης ἀναγνωρίσαντες φιλίαν πατρικὴν διαλλάσσουσι τὰ ὅπλα ἀλλήλοις. Ἕκτωρ δὲ διαλεχθεὶς τῇ μητρὶ Ἑκάβῃ καὶ τῇ γυναικὶ Ἀνδρομάχῃ σὺν τῷ ἀδελφῷ Ἀλεξάνδρῳ εἰς τὸν πόλεμον ἔξεισιν.*

προκαλουμένου δὲ Ἕκτορος τὸν ἄριστον εἰς μονομαχίαν, πολλῶν ἐλθόντων Αἴας κληρωσάμενος πυκτεύει. νυκτὸς δὲ ἐπιγενομένης κήρυκες διαλύουσιν αὐτούς.	*H*: *Ἑλένου συμβουλεύσαντος Ἕκτωρ προκαλεῖται τῶν Ἑλλήνων τὸν ἄριστον εἰς μονομαχίαν. ἐννέα δὲ ἀναστάντων ἔλαχεν Αἴας ὁ Τελαμώνιος καὶ γενναίως αὐτοὺς ἀγωνισαμένους διαλύουσι κήρυκες ἑσπέρας γενομένης. τῇ δὲ ἑξῆς τοὺς νεκροὺς ἀνελόμενοι θάπτουσι καὶ τεῖχος οἱ Ἕλληνες κατασκευάζουσιν ἐφ᾽ ᾧ ὁ Ποσειδῶν ἠγανάκτησε. Ζεύς τε αὐτοῖς διὰ νυκτὸς σημεῖα οὐκ αἴσια τῶν μελλόντων δείκνυσιν.*

Unde dilucide apparet Apollodorum fabularum Homericarum narrationem non ex ipsis carminibus, sed ex vulgatis singulorum librorum argumentis hausisse.

Quod valde memorabile est. Nam primum inde evincitur has *ὑποθέσεις* Iliadis, et quidem paulo uberiores, quam nobis hodie exstant — nam desideratur causa, cur Venus in pugnam descendere ausa sit (*Αἰνείᾳ βοηθοῦσαν*) — iam altero p. Chr. n. saeculo circumlatas esse. Multo autem plus huius rei cognitio valet ad totam bibliothecae eiusque auctoris indolem perspiciendam. Quamvis enim longe nunc iam absimus ab oblitterata vetustiorum philologorum opinione, qui ab Apollodoro aliisque id genus scriptoribus, e. gr. a Pausania, omnes auctores, quoscumque excitaverunt, re vera sedulo evolutos atque lectitatos esse confidebant, tamen neminem puto adhuc dubitasse, quin Apollodorus eum quidem poetam diligenter perscrutatus sit, ad cuius carmina legenda atque intellegenda praecipue talibus compendiis pueros in scholis praeparare oportebat. Et quod haec opinio nunc dilabitur, etiam nostris disquisitionibus magno fructui est. Etenim, ut supra in prodigio Aulidensi (§ 14, 1), sic saepius nobis quaerendum erit, nonne haec vel illa fabula, cuius accurata descriptio cum Homeri versibus congruit, ex illis potius, quam ex deperditorum carminum epicorum epitoma translata sit. Tali in dubitatione nunc facilius credemus Apollodorum in commodis aptisque excerptis exscribendis perrexisse, quam locos Homericos per totam Iliadem et Odysseam dispersos conquisivisse, quibus fabularum Antehomericarum aut Posthomericarum mentio admixta est.

Cap. V.

POSTHOMERICA.

In Posthomericis enucleandis eo adiuvamur, quod praeter exilia excerpta ex Aethiopide, Iliade parva, Ilii perside unum quidem carmen superest, quod cum totum harum fabularum cyclum complectatur, aliqua quidem ex parte ingentem illam lacunam in nostra litterarum Graecarum scientia hiantem explere videatur, Quinti Smyrnaei Posthomerica, de quibus pauca praemonenda sunt.

Namque nullam omnino salutem ab hoc carmine sperare possumus, si credimus Arminio Koechly, qui in docta de Quinti fontibus dissertatione[1]) falsam opinionem de cyclicis ab eo adhibitis radicitus evellisse sibi visus est. Examine enim rigoroso cum huius carminis versionibus fabulisque instituto tantum abesse confidit, ut Quintus cyclicos secutus sit, ut eos aut plane non noverit, quod viro doctissimo certum videtur, aut si noverit, consulto reiecerit (p. XXIV). Atque ipsa carmina cyclica a scriptore quarti saeculi non iam lectitata esse quivis concedet, ut intactae relinquantur subtilissimae observationes, quibus Koechlyius demonstravit Quintum tanto opere in Homeri vestigiis institisse, ut non modo fabulis ab Homero in transcursu commemoratis diligenter religioseque uteretur, verum etiam totius operis tenorem non minus, quam in singulis rebus depingendis omnes colores ab Homero mutuaretur. At insanum fere dixerim poetam, qui Posthomerica compositurus, cum circumspiceret, unde materiem colligeret, non primum id egisset, ut alicubi argumentum eorum carminum reperiret, quibus olim harum fabularum memoriam celebratam esse haud ignorabat. Atque, ni fallor, haud ita difficile erat eam investigare epitomam, quam duobus saeculis ante ab Apollodoro, uno post a Proclo exhaustam esse nunc scimus. Quam haud dubie sic adhibuit, ut omnia, quae ab Homeri versione recederent, in illius similitudinem deflecteret atque mutaret. Tamen multa in Quinti carmine restant tam singularia, ut neque ab ipso

1) Prolegomena editionis maioris cap. II p. VIII—XXXII.

inventa, neque ex compendio quodam historiae fabularis, de quo cogitavit Koechlyius (p. XXVII), elicita esse videantur. Ergo non tanto opere poetae Smyrnaei relationem spernemus, ut eam a comparatione cum Apollodori verbis prorsus excludamus.

§ 17.

AETHIOPIS.
PENTHESILEA. MEMNONIS ET ACHILLIS MORS.
ARMORUM IUDICIUM.

(cap. XX et XXI.)

1. Procl.: *Ἀμαζὼν Πενθεσίλεια παραγίνεται Τρωσὶ συμμαχήσουσα, Ἄρεως μὲν θυγάτηρ, Θρᾷσσα δὲ τὸ γένος· καὶ κτείνει αὐτὴν ἀριστεύουσαν Ἀχιλλεύς, οἱ δὲ Τρῶες αὐτὴν θάπτουσι. καὶ Ἀχιλλεὺς Θερσίτην ἀναιρεῖ, λοιδορηθεὶς πρὸς αὐτοῦ καὶ ὀνειδισθεὶς τὸν ἐπὶ τῇ Πενθεσιλείᾳ λεγόμενον ἔρωτα· καὶ ἐκ τούτου στάσις γίνεται τοῖς Ἀχαιοῖς περὶ τοῦ Θερσίτου φόνου. μετὰ δὲ ταῦτα Ἀχιλλεὺς εἰς Λέσβον πλεῖ, καὶ θύσας Ἀπόλλωνι καὶ Ἀρτέμιδι καὶ Λητοῖ καθαίρεται τοῦ φόνου ὑπ' Ὀδυσσέως.*

Hanc narrationem epitoma nostra aliquatenus auget, cum praeter Otreram Penthesileae matrem et Machaonis mortem etiam causam, cur Penthesilea ad Priamum venerit, addat. In hac autem accurate distinguendum est inter ea verba, quae in media textus continuitate leguntur *ἀκουσίως Ἱππολύτην κτείνασα καὶ ὑπὸ Πριάμου καθαρθεῖσα*, et uberiorem relationem in fine fabulae adiectam *ἦν δὲ Ἱππολύτη — ἐντὸς ἀπέκτειναν*[1]). Haec enim, sive interpolatori[2]) debetur, sive ipse Apollodorus adnotationem, qualem nos in calce paginae subscribendam curaremus, fabulae subiungere voluit, tam abrupta est doctumque mythographum tam manifesto prodit, ut cum Aethiopidis versione coniungi nequeat. Illa autem verba, quae apte supplentur Quinti versibus I 21 ss.:

1) De fabularum varietate hic exposita disputavimus § 6, 1.

2) sumpta fortasse ex ea bibliothecae parte, quam initio cap. III excidisse supra exposuimus (p. 137). Nam saepius videmus Apollodorum ex ipsis Apollodori verbis interpolatum esse (conf. e. gr. III 1. 4 et 15. 8, 5 cum 15. 9).

καὶ μέγ' ἀλευαμένη στυγερὴν καὶ ἀεικέα φήμην,
μή τις ἑὸν κατὰ δῆμον ἐλεγχείῃσι χαλέψῃ
ἀμφὶ κασιγνήτης, ἧς εἵνεκα πένθος ἄεξεν,
Ἱππολύτης· τὴν γάρ ῥα κατέκτανε δουρὶ κραταιῷ,
οὐ μὲν δή τι ἑκοῦσα, τιτυσκομένη δ' ἐλάφοιο,

cyclici carminis epitomae tribuere non dubito. Nam profecto certa quaedam causa, cur Amazones Priamo auxilium tulerint, Aethiopidis poetae excogitanda erat, non quod earum sedes nimis a Priami regno remotae erant — apud Arctinum enim Amazones nondum Thermodontem fluvium accolebant, sed Penthesilea erat *Θρᾷσσα τὸ γένος* —, sed quod Amazonum foedus cum Troianis repugnabat Homeri versioni *Γ* 184 ss. Hoc recte iam Strabo perspexit XII p. 552: *ἢ πολεμήσαντας μὲν ἦν δυνατὸν διαβαίνειν ἐκ τῶν τόπων τούτων καὶ τῶν ἐπέκεινα, καθάπερ τὰς Ἀμαζόνας καὶ Τρῆρας καὶ Κιμμερίους φασί, συμμαχήσαντας δ' ἀδύνατον; αἱ μὲν οὖν Ἀμαζόνες οὐ συνεμάχουν διὰ τὸ τὸν Πρίαμον πολεμῆσαι πρὸς αὐτὰς συμμαχοῦντα τοῖς Φρυξίν,*

[ἤματι τῷ, ὅτε τ'] ἦλθον Ἀμαζόνες ἀντιάνειραι

(φησὶν ὁ Πρίαμος)·

καὶ γὰρ ἐγὼν ἐπίκουρος ἐὼν μετὰ τοῖσιν ἐλέγμην.

Atque haec ratio diversas heroum stirpes inter se coniungendi minime inaudita est in historia fabulari; immo vero multae heroum Graecorum peregrinationes sic explicatae sunt, ut caedis expiandae gratia ad alios reges confugisse traderentur. Sic enim facile expediri potuit, quod eorundem virorum memoria diversis in urbibus florebat[1]).

Num Machaonis mors a Penthesilea perpetrata Aethiopidi adscribenda sit, certo quidem testimonio non constat, sed vix

---

1) Apte hoc illustratur Bellerophontis exemplo: hunc enim apud Homerum (*Z* 157) Proetus *ἐκ δήμου ἔλασσεν, ἐπεὶ πολὺ φέρτερος ἦεν*; recentiores autem, ut Apollodorus (II 3. 1), quos Euripidis vestigia legisse suspicatur Fischerus (v. Roscher, Lex. myth. I p. 768) cum sive Bellero, sive Deliade sive Pirene occiso ad Proetum Corintho se contulisse referunt. Confer praeterea Apollodorum de Tydeo I 8. 5, de Amphitryone II 4. 6, 4, de Hercule II 4. 12, 1; 6. 2, 2; 7. 6, 3, de Oxylo II 8. 3, 4, de Peleo III 13. 2, de Patroclo III 13. 8, 4.

veri simile est Apollodorum tantulam rem ex alio fonte accivisse. Ab Iliade parva hanc fabulam alienam fuisse inde evadit, quod Machaon Philoctetae vulneri medetur, deinde autem ab Eurypylo interficitur (fr. 7), ut Quintus (VI 406 ss.) quoque refert. Vergilius (Aen. II 263) Machaonem etiam eorum in catalogum recepit, qui in equo ligneo occulti erant[1]). — De Thersite ab Achille occiso brevis est epitoma, omissis eis, quae apud Proclum de Achivorum tumultu Achillisque expiatione leguntur.

2. Procl.: *Μέμνων δὲ ὁ Ἠοῦς υἱός, ἔχων ἡφαιστότευκτον πανοπλίαν, παραγίνεται τοῖς Τρωσὶ βοηθήσων· καὶ Θέτις τῷ παιδὶ τὰ κατὰ τὸν Μέμνονα προλέγει. καὶ συμβολῆς γενομένης Ἀντίλοχος ὑπὸ Μέμνονος ἀναιρεῖται, ἔπειτα Μέμνονα κτείνει· καὶ τούτῳ μὲν Ἠὼς παρὰ Διὸς αἰτησαμένη ἀθανασίαν δίδωσι. τρεψάμενος δ' Ἀχιλλεὺς τοὺς Τρῶας καὶ εἰς τὴν πόλιν συνεισπεσὼν ὑπὸ Πάριδος ἀναιρεῖται καὶ Ἀπόλλωνος· καὶ περὶ τοῦ πτώματος*[2]) *γενομένης ἰσχυρᾶς μάχης Αἴας ἀνελόμενος ἐπὶ τὰς ναῦς κομίζει, Ὀδυσσέως ἀπομαχομένου τοῖς Τρωσίν. ἔπειτα Ἀντίλοχόν τε θάπτουσι καὶ τὸν νεκρὸν τοῦ Ἀχιλλέως προτίθενται· καὶ Θέτις ἀφικομένη σὺν Μούσαις καὶ ταῖς ἀδελφαῖς θρηνεῖ τὸν παῖδα. καὶ μετὰ ταῦτα ἐκ τῆς πυρᾶς ἡ Θέτις ἀναρπάσασα τὸν παῖδα εἰς τὴν Λευκὴν νῆσον διακομίζει.*

Communi ex fonte hanc Procli et illam Apollodori narrationem derivatam esse ipsa utriusque verba clamant. Sed quod inde facile conicias ea, quae ex Apollodoro Procli relationi addere liceat, in ampliore Aethiopidis epitoma exstitisse, id

---

1) Confer ingeniosam Wilamowitzii commentationem de Aesculapii filiis (Isyllos p. 44 ss.).

2) Cave ex Vaticani nostri scriptura *περὶ τοῦ νεκροῦ* Schubartum Proclo *περὶ τοῦ σώματος* recte restituisse concludas. Nam voce *πτῶμα* apud recentiores scriptores non modo casum atque ruinam, sed etiam cadaver humi prostratum significari evincitur e. gr. Polyb. XV 14, 2 *ἡ τῶν χύδην ἐρριμμένων ὅπλων ὁμοῦ τοῖς πτώμασιν ἀλογία.* Etiam Dositheus in exercitationibus supra commemoratis apposita versione Latina promiscue *σῶμα* et *πτῶμα* adhibuisse videtur, e. gr. p. 107 (Jahn, Griech. Bilderchron.) *οὗ τὸ πτῶμα* cuius corpus, ib. *τοῦ πτώματος κειμένου* corpore iacente, p. 111 *τὸ τοῦ Ἕκτορος πτῶμα* Hectoris corpus; contra p. 103 *τὰ τῶν σφαγέντων σώματα*, p. 111 *τὸ τοῦ Ἕκτορος σῶμα.*

non modo coniectare sed accurate demonstrare nunc iuvabit. Ac primum quidem de **G l a u c i** morte videamus. Mitto interim ambiguam auctoritatem Quinti Smyrnaei, qui non solum in pugna de Achillis corpore orta Glauci cum Aiace certamen atque caedem copiose descripserit (III 243—280), verum etiam in fine carminis sui, ubi post Troiam captam quid quisque praeclarissime gesserit enumerat, hoc potissimum Aiacis facinus praedicet cantuque celebratum esse fingat (XIV 135 s.). Sed eo maius momentum tribuo notissimae picturae vasis Chalcidici sexto saeculo fabricati, in qua haud spernenda carminis Cyclici vestigia nobis servata esse inter viros doctos constat[1]). In hac enim dilucida atque significanti celeberrimi proelii adumbratione Glauco modo contigisse videmus, ut Achillis corpori in medio prostrato restim alligaret. Eodem autem temporis puncto, quo defensus sagittis a Paride emissis sese avertat, ut hostis iacentis corpus secum abripiat, advolantis Aiacis hasta perfoditur, ut iamiam eventurum esse videas, quod describit Quintus v. 279 ss.:

ὃ δ' ὕπτιος ἀμφ' Ἀχιλλῆα
κάππεσεν, εὖτ' ἐν ὄρεσσι περὶ στερεὴν δρύα θάμνος·
ὣς ὅγε δουρὶ δαμεὶς περικάππεσε Πηλείωνι
βλήμενος[2]).

Nonne ipsa poetae cyclici verba, quae pictor expressit, legere tibi videris? Sic vasis huius antiquissimi testimonio epica origo verborum *Αἴας Γλαῦκον ἀναιρεῖ*, quae ipsis Procli verbis circumdata in epitoma nostra leguntur, optime confirmatur. Atque dignum est memoratu Glauci mortem praeter brevem recensum Achivorum 'nobilem quem quis occidit' apud Hyginum f. CXIII, atque Quintum, quem ex eodem fonte cum Apollo-

1) Monum. d. I. I 51 (Baumeister tab. I).

2) Etiam quod in versibus sequentibus ab Aenea Glauci corpus servatum esse addit, consociari potest cum pictura illa, ubi Aeneas cum alio quodam Troiano, cui nomen non adscriptum est, ut sodali vulnerato auxilium ferat, accurrit. Nam Paris, qui inter Glaucum et Aeneam expressus est, huius facinoris particeps fuisse nequit, quippe qui sagittas emittens, ubi Aiacem conspexit, iam in fugam se converterit. Unde probabile fit etiam Aeneae mentionem in huius pugnae descriptione Aethiopidis argumento, quod Quintum quoque adhibuisse coniecimus, insertam fuisse.

doro hausisse suspicamur, nusquam alibi, quantum video, prolatam esse.

Eadem pictura uti licet ad aliud additamentum Apollodori Aethiopidi reddendum, quod quis cum recentiore fabula de Achille a matre usque ad talum flammis imbuto facile coniunxerit: *τοξεύεται ὑπὸ Ἀλεξάνδρου καὶ Ἀπόλλωνος εἰς τὸ σφυρόν*[1]). Nam corporis prostrati praeter pectus etiam talum sagitta percussum dilucide cognoscimus. — Neque Scaearum portarum mentionem ex morientis Hectoris vaticinio (Hom. *X* 359 s.) derivare opus est, quoniam in tabulae Iliacae anaglypho non solum porta aperte expressa est, sed etiam inscriptio accedit tabulae Veronensis (D Iahnii) *ἐν ταῖς Σκαιαῖς πύλαις Ἀχιλλεὺς ὑπὸ ⟨Πάριδος ἀναιρεῖται⟩*.

Ubique agnoscimus non conquisitam ex Homeri versibus doctrinam, non fabularum varietatem aliunde corrasam, sed genuinam Aethiopidis traditionem ex largiore epitoma carminum cyclicorum haustam. Itaque grato animo eidem fonti ea quoque restituamus, quae adhuc ignota in excerptis nostris invenimus. Nam quod primis lineis Proclus adumbravit: *Αἴας ἀνελόμενος ἐπὶ τὰς ναῦς κομίζει*[2]), *Ὀδυσσέως ἀπομαχομένου τοῖς Τρωσίν*, accuratius depinxit epitomator. Nimirum Aiax, postquam Glauco occiso Achillis corpore potitus est, eius arma dat perferenda Achivis[3]) ex heroum Homericorum more, qui illustratur e. gr. versibus *P* 130, ubi Hector Patrocli arma Troianis tradit:

δίδου δ' ὅγε τεύχεα καλὰ
Τρωσὶ φέρειν προτὶ ἄστυ, μέγα κλέος ἔμμεναι αὐτῷ[4]),

ipse autem tela hostium nihil curans, dum Ulixes Troianos repellit, per medios hostes Achillem mortuum in castra transportat. Habes scaenam vere epicam, quam in Aethiopidem recipere

1) conf. Quint. III 62: *καί ἑ θοῶς οὔτησε κατὰ σφυρόν*.

2) Nota usum verborum *ἐπὶ τὰς ναῦς κομίζει*, quae cum in ampliore i. e. Apollodori epitoma ad arma pertinerent, Proclus vel eius excerptor in decurtata narratione ad ipsum corpus transtulit (confer de hac epitomatorum consuetudine Mus. Rhen. XLI p. 143).

3) Haud scio an aliquod nomen exciderit post verbum *δίδωσιν*.

4) quod imitatus est Quintus VIII 219.

non video quid prohibeat. Nam quod Quintus (V 219 ss.) in armorum iudicio Aiacem inducit gloriantem se cum corpore etiam arma Achillis ex pugna asportavisse, non magis premendum est, quam quod postea (VII 208) Ulixem idem de se praedicare videmus[1]): uterque quae praeclare gesserat, augere atque exaggerare studet. Contra vix casu accidisse putaverim, quod in celeberrimi Clitiae et Ergotimi vasis[2]) ansis Aiax ipse armatus nudum Achillis corpus umeris imposuit, praesertim cum ceterum in hoc historiae fabularis quasi orbe picto omnes virorum et mulierum figurae praeter Troilum adulescentulum vestitae exstent. In aliis autem Aiacis corpore Achillis onusti imaginibus, quae in vasis fictilibus adspiciuntur, saepius arma Achilli mortuo nondum detracta sunt.

Apertam huius scaenae illustrationem agnosco in tabulae Iliacae inferiore parte, dummodo Ulixem (ΟΔΥΣΣΕΥΣ) cum sequenti Aiacis figura, qui Achillis corpus (ΑΧΙΛΛΕΩΣ ΣΩΜΑ) bracchiis amplexus est, coniungas. Quod ut faciamus, praeter Procli Apollodorique verba suadent eaedem personae inverso ordine expressae in signo scuti, quod adspicitur in media caelatura pulcherrimi poculi argentei in Antiquario Monacensi servati (Baumeister tab. XIV). Nam minus recte Iahnius (Gr. Bilderchr. p. 28) in tabula Iliaca Aiacem ad antecedentem Achillis mortis descriptionem referendum esse concludit ex tabula Veronensi (D). In hac enim, ubi continua figurarum series in singulas partes dirempta est, Aiax, qui in tabula Iliaca Scaeis portis adstans iacentem Achillem scuto texerat, iam eo progressus est, ut eum manibus sublevaret. Cum igitur sic neque se neque mortuum ab hostium impetu tueri possit, artifici alius defensor ex sequenti scaena arcessendus fuit.

3. De Achillis sepultura atque immortalitate variae fabulae circumferebantur. Quod apud Proclum legimus Achillem a matre ex rogo ereptum atque Leucen in insulam abductum esse, in epitoma nostra desideratur; quae autem in ea exstant prima capitis XXI verba: *ὅτι θάπτουσι τὸν Ἀχιλλέα ἐν Λευκῇ νήσῳ*

1) Confer praeterea Soph. Phil. 373, Ovid. Met. XIII 284.

2) Monum. d. I. IV 54—57. Baumeister p. 9, tab. LXXIV.

e. q. s., aegre corrupta sunt. Qui enim hac in insula remotissima a mortalium contactu Achivi Achillem sepelire poterant? Neque omnino ibi sepultus est, sed post mortem vivere perrexit. Ergo verba *ἐν Λευκῇ νήσῳ* eicienda esse apparet. Unde autem pedem intulerunt? Equidem coniecerim ea superesse ex narratione Procliana, quondam in bibliothecam recepta. Quam cum omitteret epitomator, noluit praeterire huius insulae memoriam eamque aut superscripsit verbis *ἐν μακάρων νήσοις*, unde in versum antecedentem aberravit, aut nescius, quid faceret, cum Achillis sepultura ab Achivis confecta consociavit.

Loco sic perpurgato integram adsequimur versionem Homeri, qui Achillem apud inferos versantem inducit in Odyssea, eique Patrocli mortem lamentanti Ψ 91 hoc desiderium tribuit:

ὣς δὲ καὶ ὀστέα νῶιν ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύπτοι,
[χρύσεος ἀμφιφορεύς, τόν τοι πόρε πότνια μήτηρ],

cuius amphorae historiam enarraverat Stesichorus (frg. 72). Huic versioni altera subiungitur eorum, qui summi herois vitam morte tam praematura terminatam esse persuadere sibi non poterant eiusque immortalitatem Leuce in insula perpetratam haud illepide variis fabulis exornaverunt[1]). Quis primus eum cum Medea copulaverit, docet schol. Apoll. Rhod. IV 814: *ὅτι δὲ Ἀχιλλεὺς εἰς τὸ Ἠλύσιον πεδίον παραγενόμενος ἔγημε Μήδειαν, πρῶτος Ἴβυκος* [fr. 37] *εἴρηκε, μεθ᾽ ὃν Σιμωνίδης.*

4. Armorum iudicium et in Aethiopide[2]) enarratum erat et in Iliade parva. Proclus autem, qui continuum rerum Troicarum cyclum compositurus erat, satis incommode horum carminum argumenta sic praecidit, ut neutrum careat huius facti mentione, atque ultima Aethiopidis verba (*οἱ δὲ Ἀχαιοὶ τὸν τάφον χώσαντες ἀγῶνα τιθέασι, καὶ περὶ τῶν Ἀχιλλέως ὅπλων Ὀδυσσεῖ καὶ Αἴαντι στάσις ἐμπίπτει*) excipiantur ab initio Iliadis parvae: *ἡ τῶν ὅπλων κρίσις γίνεται. καὶ Ὀδυσσεὺς*

1) v. Fleischerum in Roscheri Lex. myth. I p. 56 s.

2) Usque ad Aiacis necem voluntariam perrexisse Arctinum docet fr. 2. Contra insaniam Aiacis Aethiopidi tribuere non iam audeo, postquam Wilamowitzius (Isyllos p. 47) fr. 3, quod contra traditae scripturae auctoritatem Welckerus in hoc carmen transtulerat, Ilii persidi restituit. Etiam Pindarus (Nem. VIII 23 ss.) vecordiam heroe indignam esse censuit.

κατὰ βούλησιν Ἀθηνᾶς λαμβάνει, Αἴας δ᾽ ἐμμανὴς γενόμενος τήν τε λείαν τῶν Ἀχαιῶν λυμαίνεται καὶ ἑαυτὸν ἀναιρεῖ.

Iam si quaerimus, quo ex fonte uberior Apollodori narratio hausta sit, praeter carminum epicorum traditionem etiam Sophoclis fabula quam maxime in censuram venire videtur, praesertim cum praeter universum argumentorum consensum etiam singula quaedam verba (*νύκτωρ* v. 47, *ἐκτρέπω* v. 53) a Sophocle petita esse fortasse conieceris. Sed ne hoc faciamus monent ultima Apollodori verba de Aiacis sepultura: Agamemnonem ira incensum impedivisse, quominus Aiacis corpus solito heroicae aetatis more cremaretur; sic factum esse, ut omnium Achivorum, qui Troiae perissent, solus Aiax in arca (*ἐν σορῷ*) conderetur. Haec enim, ut aliena sunt a Sophoclis tragoedia, sic optime congruunt cum Iliadis parvae fr. 3 opportunissime ab Eustathio nobis servato ad Hom. *B* 557 (p. 285, 34 Rom.): *ὁ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα γράψας ἱστορεῖ μηδὲ καυθῆναι συνήθως τὸν Αἴαντα, τεθῆναι δὲ οὕτως ἐν σορῷ διὰ τὴν ὀργὴν τοῦ βασιλέως.* Sic felicissime novo testimonio ex ipsa Iliade parva petito demonstratur Apollodorum revera largiorem epitomam horum carminum in manibus tenuisse, neque diutius dubitabimus Iliadi parvae totam bibliothecae de Aiacis morte narrationem adscribere. Quae necopinato augetur a Zenobii interpolatore, qui ad illustrandum proverbium *Αἰάντειος γέλως* Apollodori fabulam, ut facere solet, eamque pleniorem, quam in epitoma Vaticana exstat, exscripsit I 43: *ὁ Αἴας γὰρ παραφροσύνην νοσήσας καὶ μανεὶς διὰ τὸ προτιμηθῆναι τὸν Ὀδυσσέα εἰς τὴν τῶν Ἀχιλλείων ὅπλων κατοχὴν κατὰ τῶν Ἑλλήνων ξιφήρης ὥρμησε καὶ κατὰ τῶν βοσκημάτων προνοίᾳ θεῶν τραπεὶς ὡς Ἀχαιοὺς ταῦτα φονεύει. δύο δὲ μεγίστους κριοὺς κατασχὼν ὡς Ἀγαμέμνονα καὶ Μενέλαον δεσμεύσας ἐμάστιξε καὶ κατεγέλα τούτων μαινόμενος. ὕστερον δὲ σωφρονήσας ἑαυτὸν κτείνει.* Nam cum mediis Apollodori verbis inclusum sit hoc additamentum de Menelao et Ulixe, nulla restat dubitatio, quin hoc quoque ad Apollodorum i. e. ad Leschae carmen referendum sit.

Iam vide, quam apte Sophocles hoc poetae epici inventum suum in usum converterit atque variaverit. Nam cum

in prologo (v. 105 ss.) Aiacem, qui Atridas occidisse sibi videtur, inducit Ulixem captum non prius trucidare volentem, quam columnae alligatum verberibus vexaverit; deinde autem Tecmessa (v. 237 ss.) narrat, eum ex duobus arietibus, Agamemnone scilicet et Ulixe, alterius linguam exsecuisse, alterum vinctum verberasse; neque deest horrendi illius risus mentio (v. 303). Atque etiam quas partes satis atroces Minervae Sophocles tribuit, eas magna ex parte a Lesche eum mutuatum esse contendere nunc licet, cum sciamus apud illum Minervam non solum effecisse, ut Ulixes victor ex certamine abiret (v. Procl. et fr. 2), sed etiam Aiacis insaniae auctorem fuisse. Neque dubito, quin, cum Agamemnon epicus interdixisset, ne Aiacis corpus cremaretur, Sophocles inde consilium ceperit rixam inter Atridas et Teucrum de Aiacis sepultura ortam copiosius describere[1]). Nec non Ulixem, mitissimum huius litis arbitrum, eadem mente esse voluit, qua eum apud Homerum in Tartaro iratam Aiacis umbram sibi reconciliare conantem videmus. Sic multa ex hac Apollodori narratiuncula ad Sophoclis artem cognoscendam lucramur. Discimus enim, a summo poeta, quem magno cum gaudio cyclum epicum lectitasse et adhibuisse scimus, in Aiacis fabula tragoediae quasi adumbrationem in Iliade parva paratam multo accuratius, quam adhuc suspicari licuit, expressam egregieque excultam esse.

---

1) Recte monet Welckerus (Cycl. ep. II p. 238) etiam apud Sophoclem (v. 1165 s. et 1403 ss.) Aiacis corpus non crematum sepulcro conditum esse, quod ex epico fonte translatum est, quamquam omnis poenae nota ab illo abest. Confer Philostrati verba (Heroic. p. 721): *ἔθαψαν δὲ αὐτὸν καταθέμενοι ἐς τὴν γῆν τὸ σῶμα ἐξηγουμένου Κάλχαντος, ὡς οὐχ ὅσιοι πυρὶ θάπτεσθαι οἱ ἑαυτοὺς ἀποκτείναντες*, quae haud scio an ad Iliadem parvam referre liceat. Quod si verum est, valde memorabilia sunt, quae in antecedenti paragrapho Philostratus de Ulixe narrat: eum dolore ac pietate commotum proposuisse, ut Achillis arma sibi modo addicta cum Aiacis corpore sepelirentur. Nam si haec quoque, quod dubium esse concedo, Leschae tribuere liceret, inde appareret Ulixem eadem animi magnitudine, quam Sophocles egregie depinxit, non modo apud Homerum, sed etiam in Iliade parva praeditum fuisse.

§ 18.

PHILOCTETES. HELENUS.

(cap. XXI 4—7.)

Procli ep. ex Iliade parva: *μετὰ ταῦτα Ὀδυσσεὺς λοχήσας Ἕλενον λαμβάνει, καὶ χρήσαντος περὶ τῆς ἁλώσεως τούτου Διομήδης ἐκ Λήμνου Φιλοκτήτην ἀνάγει. ἰαθεὶς δὲ οὗτος ὑπὸ Μαχάονος καὶ μονομαχήσας Ἀλεξάνδρῳ κτείνει· καὶ τὸν νεκρὸν ὑπὸ Μενελάου καταικισθέντα ἀνελόμενοι θάπτουσιν οἱ Τρῶες. μετὰ δὲ ταῦτα Δηίφοβος Ἑλένην γαμεῖ.* Hoc ipso loco, quo carminis epici auctoritate certissime inniti iuvabat, hoc adminiculo subito destituimur. Nam in sequentibus Apollodori fabulis cum singulae versiones, tum cunctus rerum ordo atque dispositio longe recedunt ab Iliadis parvae reliquiis, ut alios fontes anquirere oporteat.

1. Ac primum quidem bibliothecae relatio de Philocteta cum Iliade parva facile consociaretur, si recte Welckerus (Cycl. ep. II p. 238) apud Proclum post *Διομήδης* verba *σὺν Ὀδυσσεῖ* inseruisset. Sed hanc coniecturam rectissime, ut mihi videtur, refutavit Schneidewinus (Philol. IV p. 648 ss.)[1]), qui egregiam hanc inventionem, ut ab ipso inimico atque adversario, qui eam in acerbissimam miseriam detruserat, Philoctetes Troiam arcesseretur, tragicis Atticis (Aeschylo) tribuit[2]). Sed apud Aeschylum Ulixes solus Lemnum profectus erat; Sophoclem autem Apollodorus propterea non imitatus est, quod apud illum Neoptolemus Ulixem comitatur, quem eo tempore etiamtum Scyri versatum esse rerum ordo in bibliotheca mutatus ferebat. Contra hac Diomedis cum Ulixe coniunctione, de qua convenit inter Apollodorum et Quintum (IX 333 ss.), quasi

---

1) Suo iure vir doctus affert Pausaniae testimonium de picturis in pinacotheca Atheniensium I 22, 6: *Διομήδης ἦν καὶ Ὀδυσσεύς, ὁ μὲν ἐν Λήμνῳ τὸ Φιλοκτήτου τόξον, ὁ δὲ τὴν Ἀθηνᾶν ἀφαιρούμενος ἐξ Ἰλίου.*

2) Iam apud Pindarum legimus Pyth. I 52 s.: *φαντὶ δὲ Λαμνόθεν ἕλκει τειρόμενον μεταναξοντας ἐλθεῖν | ἥρωας ἀντιθέους Ποίαντος υἱὸν τοξόταν*, quod tam definite dictum est, ut quomodo de uno tantum heroe intellegi possit (conf. l. l. p. 651) non videam.

digito monstratur **Euripidis Philoctetes**, in qua eosdem heroes Lemnum pervenisse testatur Dio Chrysostomus 52, 14. Eundem auctorem indicat tota Apollodori narratio. Namque dilucidius, quam in Hygini fabula[1]) aliquatenus ex eodem fonte hausta, in paucis epitomae nostrae verbis duae fabulae partes, quas novimus ex notissima Dionis oratione, distinguuntur: primum Ulixes Philoctetae sagittis dolo potitus est (*καὶ δόλῳ ἐγκρατὴς γενόμενος τῶν τόξων*), deinde, nimirum cum Phrygum legati a Dione citati advenissent, eloquentiae suae vi ei persuasit, ut volens secum Troiam abiret (*πείθει πλεῖν αὐτὸν ἐπὶ Τροίαν*). Atque hic quoque, ut apud Euripidem, totius expeditionis summam atque eventum Ulixi deberi cognosces ex verborum constructione numeroque singulari adhibito (*Ὀδυσσεὺς μετὰ Διομήδους .. ἀφικνεῖται .. καὶ ἐγκρατὴς γενόμενος πείθει*), si eam comparaveris cum altera illa legatione: *Ὀδυσσέα καὶ Φοίνικα πρὸς Λυκομήδην πέμπουσιν εἰς Σκῦρον· οἱ δὲ πείθουσι Νεοπτόλεμον πορεύεσθαι.*

Quod, postquam Philoctetes Troiam transportatus est, non Machaon, ut in Iliade parva, sed Podalirius ei medetur, inde expediri vidimus (§ 17, 1 fin.), quod Machaon tunc temporum iam a Penthesilea necatus erat. Aliam ob causam etiam apud Quintum (IX 461 ss.) Podalirius hoc munere fungitur, hic enim poeta Eurypylum, a quo, ut in Iliade parva (fr. 7), Machaon interficitur, iam priusquam et Philoctetes et Neoptolemus campum Troianum intrassent, Dardanis auxilio venisse fingit. Vel in tantula re sentis, quanto opere singularum versionum varietas pendeat ex mutato fabularum ordine. Idem pertinet ad solam differentiam inter Euripidem et Apollodorum: apud hunc enim Troiam sine Herculis sagittis expugnari non posse vaticinatur Calchas, apud illum teste Dione in prologi paraphrasi (59, 2) **Helenus**[2]).

2. Iam perventum est ad eam personam, cuius in fatis

1) fab. CII: 'Tunc Agamemnon Ulyssem et Diomedem exploratores ad eum misit. Cui persuaserunt, ut in gratiam rediret, et ad expugnandam Troiam auxilio esset, eumque secum sustulerunt'.

2) Parvam Iliadem praeter Euripidem secuti sunt Bacchylides fr. 16 et Sophocles in falsidici mercatoris narratione (Phil. 604 ss.).

harum omnium mutationum quasi cardinem versari arbitror. Quas quo commodius possis perlustrare, sub uno conspectu pono fabularum discrepantiam.

Ilias parva.	Apollodorus.
1. Helenus ab Ulixe capitur.	1. Calchante auctore Philoctetes ab Ulixe et Diomede Troiam transportatur.
2. Heleno auctore Philoctetes a Diomede Troiam transportatur.	2. Philoctetes Paridem interficit.
3. Philoctetes Paridem interficit.	3. Discidium Heleni et Deiphobi de Helenae matrimonio.
4. Deiphobus Helenam in matrimonium ducit.	4. Helenus spretus ab Helena Troiam relinquit atque Calchantis consilio ab Ulixe captus Achivis tres condiciones prodit, quibus perfectis urbem expugnare possunt.

Vides, quam arte haec omnia inter se cohaereant. Cum enim in Leschae carmine nescio quo casu accidisse videatur, ut Helenus extra urbem vagaretur, is poeta, quem Apollodorus secutus est, certam quandam causam, cur Priami filius ex urbe consulto exiret, excogitavit. Haec cum in eo posita sit, quod post Alexandri mortem Helenus Helenae amore inflammatus eam uxorem ducere voluit, hac autem spe, cum illa Deiphobi matrimonium praetulisset, destitutus est, evincitur ab eodem poeta adventum Philoctetae, ut qui Paridem necaturus esset, consulto ab Heleni vaticinio segregatum esse.

Nec vero propter hanc solam causam in tota hac bibliothecae parte memorabilem atque haud fortuitum rerum conexum observare mihi videor. Nam quo accuratius perscrutatus sum, quae leguntur inde ab initio fabularum ab Iliade parva alienarum (XXI, 4): *ἤδη δὲ ὄντος τοῦ πολέμου δεκαετοῦς ἀθυμοῦσι τοῖς Ἕλλησι Κάλχας θεσπίζει* e. q. s., eo minus dubitavi, quin hic lateat exordium continuae narrationis poeticae de Troiae excidio, i. e. carminis cuiusdam, quod fortasse *Ἰλίου ἅλωσις* aut *Ἰλίου πέρσις* inscriptum erat[1]). Post-

1) Memoratu dignum est etiam apud Triphiodorum Ilii halosin incipere ab universa Graecorum defatigatione Helenique memoria; qui nisi Deiphobo propter Helenam iratus transfuga ad Graecos pervenisset, illi urbem expugnare non potuissent.

quam enim decimus belli annus iam fere exactus esset, quamvis finiendae obsidionis spes nullo modo augeretur, Achivorum dubitatio[1]) atque indignatio, ut per se intellegitur, in eundem se convertit, qui quondam decimo anno Troiam expugnatum iri vaticinatus erat. Calchas autem sua ipsius arte ut urbs caperetur efficere nequit, haud enim ignorat, *τοὺς ῥυομένους τὴν πόλιν χρησμοὺς* ab Heleno, praestantissimo Troianorum auspice[2]), servari. Fortasse etiam praesapit hunc Paride mortuo Helenae amore incensum a patriorum penatium defensione posse abalienari. Itaque primum praescribit, ut Herculis sagittae, quibus solis optimus ille Dardanorum sagittarius, tectus insuper Veneris Apollinisque praesidio, occumberet, Troiam afferrentur. Deinde, cum quae praesenserat evenissent, in Heleno capto Achivorum salutem positam esse addit. Hic autem, cum ab Ulixe comprehensus esset, non solum, quod breviter indicat epitoma, ab Achivis coactus (*ἀναγκαζόμενος*), patriam suam perdidit, sed haud dubie etiam fratris odio incitatus eo facilius permovebatur, ut condiciones illas pronuntiaret[3]).

---

1) Haec iam in Iliade mota esse videtur, conf. *B* 299 s.:

τλῆτε φίλοι καὶ μείνατ' ἐπὶ χρόνον, ὄφρα δαῶμεν,
ἢ ἐτεὸν Κάλχας μαντεύεται, ἦε καὶ οὐκί.

2) v. *Z* 76: *Πριαμίδης Ἕλενος οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος*, et *H* 44 ss.

3) Recentiores, ut Dict. IV 18, Orph. Lith. 383, Triphiod. 45 s. (v. Tzetz. in Lycophr. 911, Posthom. 573 cum scholiis) ac fortasse iam Euripides (v. Tzetzae versus infra exscriptos) eo progressi sunt, ut Helenum ad Achivos voluntarie transfugisse traderent. Contra cum Apollodoro praeter Cononem (34) congruit Quintus loco perquam singulari, ubi Iunonem inducit cum Horis de Troiae fato futuro confabulantem, X 344 ss.:

ὁππόσα λοίγιος Αἶσα περὶ φρεσὶν οὐλομένῃσι
μήδετο, Τυνδαρίδος στυγερὸν γάμον ἐντύνουσα
Δηιφόβῳ, καὶ μῆνιν ἀνιηρὴν Ἑλένοιο
καὶ χόλον ἀμφὶ γυναικός, ὅπως τέ μιν υἷες Ἀχαιῶν
ἤμελλον μάρψαντες ἐν ὑψηλοῖσιν ὄρεσσι
χωόμενον Τρώεσσι θοὰς ἐπὶ νῆας ἄγεσθαι.

Hoc enim episodium ex peculiari quodam fonte (eodem fortasse, quem Apollodorus secutus est) derivatum esse inde evincitur, quod repugnat alii loco eiusdem carminis (XI 349 ss.), ubi Helenum cum Agenore Idaeas portas a Neoptolemi impetu defendentem videmus (conf. Koechlyium in praefat. p. XXXI s.).

De singulis condicionibus, quarum ea praecipue, ut quam maxime Troiani, ne Palladium eis abriperetur, caverent, soli vati Troiano nota esse poterat, infra videbimus. Nunc circumspiciendum est, ex quo fabularum cyclo Apollodorus haec omnia sibi adsumpserit. Ac primum quidem facile quis cogitaverit de Arctini Ilii persidis ea parte, quam Proclus, ut ex diversis carminibus unam atque continuam fabularum seriem conficeret, consulto omisit. Nam unde coeperit poetae Milesii carmen, cuius in mediam partem initio excerptorum Proclianorum statim introducimur, nescimus. Sed si nostram narrationem cum excerptis ex Leschae Iliade parva comparamus, apparet ea, quae Lesches simpliciter enarraverat, hic varie exornata ac maiore arte inter se coniuncta esse, itaque Apollodori fontem Lesche recentiorem fuisse. Atqui, quamvis incerta sint omnia, quae de horum poetarum epicorum aetate circumferuntur[1]), tamen Iliadis parvae auctorem post Ilii persidis poetam vixisse certo constat, quoniam ex ipsorum carminum natura atque indole cognoscitur. Ergo Arctini carmen in censuram vocari nequit. Antiquissimum autem testimonium fabulae nostrae, quantum video, servatum est a Tzetze Chil. (VI 508 ss.):

Ἕλενος παῖς Πριάμου μέν, ἦν δὲ τὴν τέχνην μάντις,
ἐκ λίθου σιδηρίτου δὲ γνοὺς πόρθησιν τὴν Τροίας
μόνος προσῆλθεν Ἕλλησι, καὶ λέγει τὰς μαντείας,
ὡς τέως δείκνυσιν Ὀρφεύς· ὁ δ᾽ Εὐριπίδης λέγει,
ἀνθ᾽ οὗπερ ὁ Δηίφοβος ἔλαβε τὴν Ἑλένην,
ὁ τούτου σύναιμος φθονῶν τοῖς Ἕλλησιν ἐπῆλθε.
τὸν δ᾽ Ὀδυσσέα Σοφοκλῆς λέγει θηρᾶσαι τοῦτον,
ἄκοντα δὲ τὴν πόρθησιν Ἕλλησι Τροίας φράσαι.

Inter Leschae igitur atque Euripidis[2]) aetatem haec fabulae mutatio perpetrata esse videtur. Quis autem eam invenerit,

1) v. Wilamowitzium de cyclo epico disputantem (Hom. Untersuch. p. 348 ss.).

2) Quamquam nolim Tzetzae testimonii veritatem affirmare. Nam in Philocteta quidem Euripidea neque Heleni ira in Deiphobum commemorari potuit, neque omnino Helenum transfugam ad Graecos venisse apparet ex verbis Dionis 59, 2: *ὁ γὰρ δὴ μαντικώτατος Φρυγῶν Ἕλενος ὁ Πριάμου*

cum certa desint testimonia, fortasse ex ipsius narrationis indole elicere continget. Nam cum in epica poesi Helenus nihil aliud fuisse videatur, quam quasi instrumentum a deis adhibitum ad Ilii triste fatum conficiendum, ignotus ille poeta id sibi proposuit, ut, quae fortunae temeritate Heleno acciderant, cum ipsius voluntate atque consilio conecteret itaque eius personae aliquam historiam atque auctoritatem adderet. Ad hoc efficiendum ansam praebuit aptissimam nominum Heleni Helenaeque similitudo, quae eum quasi invitabat, ut etiam fata amborum aliqua ratione inter se coniungeret. Atque tali artificio Heleni fugam a Paridis morte novisque Helenae nuptiis[1]) repetiit, ut aliud quoque eiusdem poetae consilium, ni egregie fallor, aperte ac manifesto perspiciatur, nimirum ut Helenae vim perniciosam nova fabula inventa illustret atque augeat.

Hoc autem intra temporum spatium a nobis circumscriptum unum tantum poetam sibi proposuisse cuivis notum est, nimirum S t e s i c h o r u m, cuius vestigia hanc ob causam in Apollodori narratione agnoscere mihi videor. Vix enim tam mira orta esset fabella de Stesichoro, famoso Helenae adversario atque irrisore, si ea tantum collegisset atque repetiisset, quae iam omnium per ora circumferebantur; immo vero ipsa poena crudelissima, qua Helena poetam incautum affecisse dicitur, modo non flagitare mihi videtur, ut novam quandam atque inauditam ignominiam Menelai Paridisque uxori a poeta Himeraeo additam esse statuamus. Cui autem rei aptius haec adnecti poterat, quam ei Helenae matrimonio, cui soli fatalem exitum poetae nondum addiderant. Ut igitur, cum Helena Menelao nuberet, principes Achivorum iureiurando illo obligati iam ad interitum vocati erant, ut deinde in Paridis nuptiis Fortuna mala quasi triumphans Troianorum moenia ingressa erat, sic denique, cum Deiphobum Helena praetulisset, improba illa Siren exitium, quod decem per annos Troianis imminebat, ad finem

---

κατεμήνυσεν, ὅτε ἔτυχεν αἰχμάλωτος ληφθείς, ἄνευ τούτων μήποτ᾽ ἂν ἁλῶναι τὴν πόλιν.

1) Helenae matrimonium cum Deiphobo iam in Odyssea (δ 276, ϑ 517) et in Ilii perside invenerat.

funestum perduxit: inventum ingenioso veterum fabularum instauratore ac novatore[1]) haud indignum!

Iam si in mentem revocaveris, quae paulo ante (p. 217 s.) de inseparabili rerum ab Apollodoro hic enarratarum conexu disputavimus, quasi per se suspicio nobis oritur exordium epitomae ex Stesichori Ilii perside confectae apud Apollodorum nobis servatum esse. Talia excerpta Apollodori in manibus fuisse facile credemus. Nam non solum Athenis carmina Stesichorea summa laude floruisse certis testimoniis constat[2]), verum etiam apud Romanos poetam Siculum, qui Aeneae fugam similiter, atque Romanorum in ore erat, descripserat, inclaruisse verisimile est atque fortasse argumento quodam haud spernendo demonstratur. Nota enim atque probabilis est eorum coniectura, qui in tabula Iliaca Troiae excidium propterea non ex Arctini sed ex Stesichori carmine expressum esse putant, quod in illo Aeneae fuga aegre desiderabatur ab eis, qui ex huius herois progenie suam gentem ortam esse gloriabantur. Atqui tabulae artifex hoc consilium capere non potuisset, nisi Stesichorei carminis adeundi aeque commoda facultas ei parata esset, ac cycli epici. Itaque eis in libellis, ex quibus Romani harum fabularum notitiam haurire solebant, argumentis poesis epicae etiam epitomam carminis melici de Ilii excidio a Stesichoro conscripti a grammaticis adiectam fuisse arbitror. Sic ad eam reducimur coniecturam, quam iam Michaelis longe alia eaque minus probabili argumentatione fulcire conatus erat[3]). Ex hisce igitur excerptis auctor tabulae Iliacae quasi filum deduxit, cui longam scaenarum in Troiae excidio actarum seriem adnecteret, eidemque

1) Sic novo lumine illustratur fragmentum celeberrimum, quo Stesichorus (fr. 26) Venerem iratam Tyndarei filias *διγάμους τε καὶ τριγάμους καὶ λιπεσάνορας* reddidisse narrat. Nam recte Seeligerus, qui nuper fragmenta Stesichorea sagaciter examinavit (Die Ueberlieferung der griechischen Heldensage bei Stesichoros I p. 5), contendit tertiis Helenae nuptiis matrimonium cum Deiphobo significari.

2) v. Bergk. Hist. litt. Graec. II p. 296.

3) Herm. XIV p. 495 vir doctus huius epitomae partem agnoscere sibi visus est in 'fragmento', quod vocatur cycli epici, quod infra tractabimus (§ 21, 5 init.).

fonti Apollodorus quoque aliquam partem narrationis suae debet. Etiam ipsa oracula ab Heleno edita huc referenda esse mihi quidem probabile videtur, sed demonstrari nequit.

§ 19.

HELENI VATICINIA. PELOPIS OSSA. NEOPTOLEMUS. PALLADIUM.

(cap. XXI 8—10.)

1. Condiciones, ex quibus urbis expugnatio pendebat, ab aliis auctoribus aliae alioque ordine enumerantur, ut singulas quisque fabulas inter se coniunxit. In parva Iliade, quod quidem ex epitoma satis exili concludere liceat, id tantum Helenus Achivis praescripsit, ut Philoctetam arcesserent, quod Sophocles et Euripides receperunt. Recentiores, ut Lycophro loco statim citando, tres condiciones afferre solent, sed eas quoque diversas. Longissime ab universa traditione epica Conon (34) recedit, etiamsi de Heleno ceterum cum Apollodoro bene congruat, cum hoc quoque Helenum vaticinatum esse narret: *ὡς ξυλίνῳ ἵππῳ πεπρωμένον ἐστὶν Ἴλιον ἁλῶναι.*

Ex tribus oraculis apud Apollodorum ab Heleno editis rarissime memorantur Pelopis ossa. Lycophro (v. 53 ss.) Neoptolemi auxilio, Tantali filii reliquiis Troiam transportatis, Herculisque sagittis Troiam iterum interiisse obscure indicat, quem exscripsit Tzetz. in Lycophr. v. 911 et Posthom. 576. Quibus solus, quantum video, accedit Pausanias V 13, 4: *μηκυνομένου τοῦ πρὸς Ἰλίῳ πολέμου προαγορεῦσαι αὐτοῖς τοὺς μάντεις, ὡς αἱρήσουσιν οὐ πρότερον τὴν πόλιν, πρὶν ἂν τὰ Ἡρακλέους τόξα καὶ ὀστοῦν ἐπαγάγωνται Πέλοπος. οὕτω δὴ μεταπέμψασθαι μὲν Φιλοκτήτην φασὶν αὐτοὺς ἐς τὸ στρατόπεδον, ἀχθῆναι δὲ καὶ τῶν ὀστῶν ὠμοπλάτην σφίσιν ἐκ Πίσης τῶν Πέλοπος* (sequuntur mira fata, quae in reditu hae Pelopis reliquiae perpessae sunt, donec Eleis restituerentur).[1] Unde

1) Mirum in modum prorsus incongrua permiscuit Dionysius Cyclographus, fr. 5 (FHG II p. 9), cum Palladium Troicum, quod Demophontis opera Athenas pervenerat, ex Pelopis ossibus fabricatum esse narraverit.

vides ex reconditioribus esse hanc fabulam, quam a poeta quodam e Dorica aut Achaea stirpe orto inventam esse suspicor.

2. De **Neoptolemo** haec ex Iliade parva Proclus servavit: *καὶ Νεοπτόλεμον Ὀδυσσεὺς ἐκ Σκύρου ἀγαγὼν τὰ ὅπλα δίδωσι τὰ τοῦ πατρός, καὶ Ἀχιλλεὺς αὐτῷ φαντάζεται*, quibuscum confer Hom. λ 508 s. Hic igitur Ulixes solus Achillis filium Troiam secum ducit, apud Apollodorum Phoenix ei socius additus est, in Quinti fusa narratione (VI 57—113, VII 169—393) Diomedes. De Phoenice plura eaque satis memorabilia legimus in Philostrati min. Imag. 1: *λογίου δὲ ἐς τοὺς Ἕλληνας ἐμπεσόντος, ὡς οὐκ ἄλλῳ τῳ ἁλωτὸς ἔσοιτο ἡ Τροία πλὴν τοῖς Αἰακίδαις, στέλλεται ὁ Φοῖνιξ ἐς τὴν Σκῦρον ἀνάξων τὸν παῖδα, καὶ καθορμισάμενος ἐντυγχάνει οἱ οὐκ εἰδότι οὐκ εἰδώς, πλὴν ὅσα τὸ ἁβρόν τε καὶ ἁδρὸν τοῦ εἴδους ὑπεδείκνυ αὐτὸν Ἀχιλλέως εἶναι παῖδα. κἀντεῦθεν γνωρίσας, ὅς εἴη, ἔκπυστος γίγνεται τῷ τε Λυκομήδει καὶ τῇ Δηιδαμείᾳ.* Hic enim tragoediae argumentum latere felicissime Welckerus (Trag. p. 140 ss.) divinavit, quam **Sophoclis** *Δόλοπες* fuisse probabiliter statuit[1]). A Sophocle Phoenicem inductum esse apparet etiam ex simulata mercatoris narratione coram Philocteta: Phoenicem cum Thesei filiis ad Neoptolemum missum esse[2]). Ingeniose sane a poeta inventum est amicissimum ac venerabilissimum patris comitem profectum esse, ut filium in eundem campum, qui Achillis laudes resonabat, deduceret. Quis enim melius Pyrrhum, ut vestigiis patriis ingrederetur, inflammare poterat, quam is, qui iam in Cyprio carmine (fr. 11) patris in memoriam — *ὅτι Ἀχιλλεὺς ἡλικίᾳ ἔτι νέος πολεμεῖν ἤρξατο* —

Hoc sane Mirabilium aut Novae Historiae scriptorem magis prodit, quam simplicem veterum fabularum traditionem, atque haud indignum mihi videtur Scytobrachione, qualem optime descripsit Ericus Bethe (Quaest. Diodor. myth. p. 6 ss.).

1) In eo autem erravit vir incomparabilis, quod hanc fabulam a Sophoclis Phoenice non segregavit. Nam si quid de huius fabulae argumento ex unico fere, quod servatum est fragmento 653 *φορβὰς γυνή* concludere licet, ea ad Phoenicem a patris pelice calumniis vexatum et Phthia expulsum (Apollod. III 13. 8, 3) pertinuit.

2) Ulixem hic memorare non poterat, quoniam eum mercator, ut re vera evenerat, Lemnum ad Philoctetam missum esse rettulerat.

Neoptolemi nomen ei dederat? Sed utrum Sophocles primus hoc novaverit, an alius poeta (Stesichorus?) praeierit, diiudicari nequit, cum in Sophoclis fabula Phoenicem solum legatum fuisse ex Philostrati verbis non satis eluceat; hic enim ea tantum ex fabulae argumento sibi adsumpsit, quae ad imaginis descriptionem illustrandam apta esse indicabat.

Post Neoptolemi statim etiam Eurypyli adventus memoratur, ultimi Troianorum socii, quo occiso non minorem gloriam Neoptolemus sibi paravit, quam antea Telepho superato Achilles. Eundem rerum ordinem invenimus apud Proclum, cuius verba (*Εὐρύπυλος δὲ ὁ Τηλέφου ἐπίκουρος τοῖς Τρωσὶ παραγίνεται καὶ ἀριστεύοντα αὐτὸν ἀποκτείνει Νεοπτόλεμος*) Apollodorus ante oculos habuisse videtur[1]).

3. Iam ad Palladii raptum pervenimus, qui principalem locum inter Heleni vaticinia obtinet, quoniam hoc omnium maxime ad urbem servandam pertinebat[2]), atque haud dubie solis Troianis[3]) notum erat. Sic factum est, ut de Palladio, quod in reliqua condicionum varietate fere nusquam omittitur, fabulae magno opere inter se differentes excolerentur, quas accurate distinguere atque explanare haud facilis est opera, quae monumentis nobis exstantibus magis augetur quam tollitur.

Ac primum quidem neminem fugit, quanta discrepantia intercedat inter Apollodorum et Procli epitomam ex Iliade parva, etiamsi haud pauca bibliothecae verba cum Proclo congruant. Proclus enim postquam equi lignei fabricam enarravit, sic pergit: *Ὀδυσσεύς τε αἰκισάμενος ἑαυτὸν κατάσκοπος εἰς Ἴλιον παραγίνεται καὶ ἀναγνωρισθεὶς ὑφ' Ἑλένης περὶ τῆς ἁλώσεως τῆς πόλεως συντίθεται, κτείνας τέ τινας τῶν Τρώων ἐπὶ τὰς ναῦς ἀφικνεῖται. καὶ μετὰ ταῦτα σὺν Διομήδει τὸ Παλλάδιον ἐκκομίζει ἐκ τῆς Ἰλίου.* Bis igitur in Iliade parva Ulixes moenia Troica clam intravit,

1) Apud Quintum (VI 119 ss.) Eurypylus Troianis auxilio venit, antequam Achivi Neoptolemum advocaverunt.

2) Apollod.: *τούτου γὰρ ἔνδον ὄντος οὐ δύνασθαι τὴν πόλιν ἁλῶναι.*

3) De Helena raptus auctore statim videbimus. Apud Malalam (Chron. V p. 109 ed. Bonn.) *τοῦτο τὸ βρέτας Ὀδυσσεὺς καὶ Διομήδης ἔκλεψαν κατὰ γνώμην τοῦ Ἀντήνορος*, quocum consentit schol. rec. Hom. *Z* 311.

primum explorandi causa, qua in expeditione ab Helena, ut ipsa in Odyssea (δ 244 ss.) Telemacho copiose exponit[1]), cognoscitur foveturque et

πολλοὺς δὲ Τρώων κτείνας ταναήκεϊ χαλκῷ
ἦλθε μετ' Ἀργείους, κατὰ δὲ φρόνιν ἤγαγε πολλήν,

iterum, ut cum Diomede Palladium abriperet, quod ut faceret Helena ei suaserat; sic enim Welckerus (Trag. I p. 146) utrumque optime coniunxit. Contra in Apollodori fonte *πτωχεία* illa, quae vocatur, non exstitit neque omnino exstare potuit, quoniam de Palladio Ulixes iam ab Heleno certior factus est. Vides quam arte haec omnia cum antecedenti de Heleno fabula, qualem Apollodorus tradidit, cohaereant, et qua de causa hae duae expeditiones in unam contractae sint; gravissimi enim oraculi proditio ab Helena ad Helenum, qui ab illa repulsus urbem reliquerat, translata est. Ergo si iure Stesichorum huius mutationis auctorem laudavimus, illa quoque de Palladio ab eius versione aliena esse nequit. Etiam rerum ordo a parva Iliade diversus sic bene explicatur. Nam in hac tum demum, cum equo ligneo exstructo omnia ad urbem capiendam parata sunt, Ulixes speculator Troiam intrat et unam etiamtum condicionem explendam esse ab Helena comperit; apud nostrum auctorem tria oracula ab Heleno proposita prius expleri necesse est, quam de urbis expugnatione omnino cogitari possit. Unde veri simile fit, in toto rerum conexu inde a Calchantis de Heleno vaticinio usque ad Palladii raptum

1) v. 244 s.: *αὐτόν μιν πληγῇσιν ἀεικελίῃσι δαμάσσας,*
σπεῖρα κάκ' ἀμφ' ὤμοισι βαλών, οἰκῆϊ ἐοικώς
comparaveris cum Apollodori descriptione *ἑαυτὸν αἰκισάμενος καὶ πενιχρὰν στολὴν ἐνδυσάμενος ἀγνώστως εἰς τὴν πόλιν εἰσέρχεται ὡς ἐπαίτης* (conf. Schol. Eur. Hec. 240: *ἦλθε γὰρ Ὀδυσσεὺς εἰς τὴν Τροίαν εἰς ἐπαίτην μετασχηματίσας ἑαυτὸν διὰ τὸ Παλλάδιον*). Cum Apollodorus haec verba procul dubio ex pleniore epitoma descripserit, facile crederemus ea non ex carmine cyclico sed ex hoc Homeri loco expressa atque Iliadis parvae argumento minus recte addita esse, nisi Procli auctoritatem nuper a viris doctis graviter labefactatam hic adiuvaret testis locupletissimus Aristoteles, qui in tragoediis ex Iliade parva derivandis et *πτωχείαν* et *Λακαίνας* (i. e. Palladii raptum) enumeret. Quod moneo, ut etiam alibi caveamus, ne excerptis Proclianis nimis diffidamus.

Apollodorum epitomam illam ex Stesichori Ilii perside adhibuisse (conf. p. 221 ss.).

Quamquam hoc si quo loco, quanta neglegentia atque socordia Apollodorus fontes suos exscripserit, in aprico est. Nam cum ex auctore suo primario, ut ita dicam, unam tantum expeditionem eamque posteriorem recepisset, minime veritus est exornandi gratia ea, quae de Ulixis misero habitu deque Helena conaminis conscia[1]) (omnia scilicet ad priorem expeditionem pertinentia) in Iliadis parvae argumento invenerat, loco satis inepto inculcare. Quis enim Apollodoro credet Ulixem non priusquam ex castris proficisceretur, sed tum denique, cum comitante Diomede hostium in urbem pervenisset, sese violasse centonemque mendicum induisse?

Propter hanc duarum fabularum confusionem vix eruere possumus, quomodo apud alterum Apollodori auctorem, quem Stesichorum fuisse opinor, Palladii raptus perpetratus sit. Inde autem, quod Ulixes Diomedem eo loco, quo in urbem intraverant, custodem reliquit, perspicimus maiores in re peragenda partes Ulixi tributas esse. Quocum consentit pictura p. 216 citata (Paus. I 22, 6), in qua prope Diomedem Philoctetae arcum tenentem Ulixes cum Palladio adumbratus erat. Contrarium in Iliade parva evenisse docet tabula Iliaca, ubi ex porta urbis[2]) Diomedes (ΔΙΟΜΗΔΗΣ) laeva manu Palladium (ΠΑΛΛΑΣ) extollens prodiit, eumque sequens Ulixes (ΟΔΥΣΣΕΥΣ) scuto tectus modo emergit. Atque Diomedem, non Ulixem, principalem huius facinoris actorem fuisse praeter monumenta, in quibus plerumque Diomedes Palladium tenens adspicitur[3]), recentiores scriptores confirmant, qui multa addunt de discidio inter ambos heroes in reditu orto, in quo Ulixes

1) Helenam etiam apud Sophoclem in raptu Palladii Ulixem adiuvisse Welckerus (Trag. p. 146) recte conclusit ex eius tragoediae titulo *Λάκαιναι*, quas Helenae comites intellegendas esse putat. Eandem materiam Ion in fabula, quae erat inscripta *Φρουροί*, tractavisse videtur (v. Welckerum ib. p. 948 ss.).

2) De cloacae ostio Bergkius collato Sophoclis fr. 338 cogitavit (v. Welckerum Trag. p. 148 et Iahnium Philol. I p. 46).

3) conf. O. Iahnii commentationem: Der Raub des Palladion. Philol. I p. 46 ss.

Diomedem cum Palladio antegredientem dolose aggressurus fuerat, ut ipse signo illo potiretur[1]). Sed haec exponere non opus est, quoniam Apollodorus ea prorsus omisit.

§ 20.

EQUUS LIGNEUS.

(cap. XXI 11—18.)

In hac narrationis suae parte Apollodorus ab Ilii perside ignoti cuiusdam poetae, quem Stesichorum fuisse haud improbabile nobis videbatur, ad epitomam ex Leschae Arctinique carminibus exscribendam rursus se convertit, quod praeter rerum conexum ipsa verba hic illic congruentia demonstrant. Unde horum carminum notitiam haud mediocriter augere continget, quamvis caute progrediendum sit, cum aliorum fontium vestigia ne hic quidem desint.

1. Proclus, postquam Eurypyli mortem memoravit, parvae Iliadis argumentum sic absolvit: *καὶ οἱ Τρῶες πολιορκοῦνται· καὶ Ἐπειὸς κατ' Ἀθηνᾶς προαίρεσιν τὸν δούρειον ἵππον κατασκευάζει .... ἔπειτα* (scil. post Palladii raptum) *εἰς τὸν δούρειον ἵππον τοὺς ἀρίστους ἐμβιβάσαντες τάς τε σκηνὰς καταφλέξαντες οἱ λοιποὶ τῶν Ἑλλήνων εἰς Τένεδον ἀνάγονται· οἱ δὲ Τρῶες τῶν κακῶν ὑπολαβόντες ἀπηλλάχθαι τόν τε δούρειον ἵππον εἰς τὴν πόλιν εἰσδέχονται, διελόντες μέρος τι τοῦ τείχους, καὶ εὐωχοῦνται ὡς νενικηκότες τοὺς Ἕλληνας.* Exilis haec rerum adumbratio, quae longe abest a copiosissima Quinti (XII 1 ss.) ac praecipue Triphiodori narratione de machinae fabrica, varie suppletur atque exornatur notissimis locis Homericis, de quibus vide Welckerum (Cycl. ep. II 258 s.). Sic summorum laudis titulorum, quibus Ulixes huius operis auctor in Odyssea praedicatur, ne mentio quidem fit apud Proclum: Apollodorus non modo Ulixis consilio equum fabricatum esse tradit, sed etiam eius monitu heroes in equi al-

1) Confer Con. 34, schol. Hom. *Z* 311, paroemiographos s. v. *Διομήδειος ἀνάγκη*, quod proverbium Hesychius ex Iliade parva (fr. 9) derivat: *ὁ δὲ τὴν μικρὰν Ἰλιάδα .... φησί, ἐπὶ τῆς τοῦ Παλλαδίου κλοπῆς γενέσθαι.*

veum descendisse ipsumque eorum ducem creatum esse addit, quod ex Iliade parva haustum esse eo facilius credemus, quod apud inferos coram Achillis umbra ipse Ulixes gloriatur λ 523 s.:

αὐτὰρ ὅτ᾽ εἰς ἵππον κατεβαίνομεν, ὃν κάμ᾽ Ἐπειός,
Ἀργείων οἱ ἄριστοι, ἐμοὶ δ᾽ ἐπὶ πάντ᾽ ἐτέταλτο.[1])

Contra Minervam conaminis adiutricem, quae ut alibi [2]) sic iam apud Proclum laudatur (κατ᾽ Ἀθηνᾶς προαίρεσιν) Apollodorus silentio praeteriit. Quod autem arbores ex Idae silvis in castra transportatas esse auctor noster refert, haud dubie vestigium est accuratioris descriptionis, qualem de equi constructione Lesches primus confecerat: quo loco narrationis suae Triphiodorus (v. 57 ss.) haud inepte monet, eundem saltum quondam Phereclo materiam ad exitiosam Paridis navem exstruendam praebuisse.

Nomina numerusque heroum, qui equo se committere ausi sunt, singuli poetae suo Marte, similiter atque Argonautarum catalogum, varie mutaverunt atque auxerunt. Sic permulta nomina Sacadas, qui ante Stesichorum Ilii persidem composuisse videtur, teste Athenaeo (XIII p. 610 C) congesserat, sic ipse Stesichorus (fr. 24) centum; undetriginta enumerat Quintus (XII 314 ss.), tria et viginti Triphiodorus 152 ss. (quem, ut adsolet, sequitur Tzetzes in Lycophr. 930, Posthom. 641 ss.); Vergilius (Aen. II 261 ss.) autem (eiusque pedisequus Hyginus f. CVIII) novem tantum nominatim protulisse satis habuit. Qua fabularum varietate commotus etiam Apollodorus duas versiones apposuit, quarum alteri fontis notam addidit, quam hoc loco solo epitomator nobis servavit. Sed mire accidit, quod, cum ex epitoma nostra satis multa coniecturis plus minusve probabilibus ad carmina epica transferre studeamus, id ipsum, quod ex Iliade parva petitum esse diserte confirmatur, corruptela satis antiqua depravatum est. Nam monstruosum numerum trium milium virorum equo inclusorum iam Tzetzes ex suo bibliothecae exemplari stupide descripsit (in Lycophr. 930): ὁ Πανοπέως υἱὸς Ἐπειὸς ἐποίησε τὸν δούρειον ἵππον,

---

1) Confer etiam θ 502 ἀγακλυτὸν ἀμφ᾽ Ὀδυσῆα.

2) Confer e. gr. Eurip. Troad. 10 μηχαναῖσι Παλλάδος, et Quintum (XII 104 ss.), qui Minervam Epeo in somnis visam esse narrat.

εἰς ὃν πεντήκοντα ἢ [καὶ codd.] τρισχίλιοι, ἢ κατ' ἐμὲ εἴκοσι τρεῖς ἄνδρες εἰσελθόντες Ἕλληνες ἐκάθηντο. Muelleri coniectura, qui ex codicum suorum scriptura πεντήκοντα καὶ τρισχίλιοι (i. e. ν' καὶ ͵γ) elicuerat νγ' i. e. πεντήκοντα τρεῖς, nunc cum Tzetzae fontem tenemus stare non potest. Quae autem litterula pro ͵γ reponenda sit, non magis adsequor, quam unde numerum quinquagenarium Apollodorus petierit.

Titulum equo inscriptum potius ex posterioris aetatis more adiectum, quam ex vetere carmine epico expressum esse crediderim. Cuius verba: Ἕλληνες Ἀθηνᾷ χαριστήριον ab Hygino (f. CVIII: 'Danai Minervae dono dant') in sermonem Latinum conversa esse censerem, nisi tota haec fabula aperte ex Vergilii Aeneide (conf. II 17: votum pro reditu simulant) penderet. Eandem inscriptionem paulo verbosiorem Servius citat ex Accii Deiphobo, fr. 1:

⟨deae⟩ Minervae donum armipotenti abeuntes Danai dicant.

Itaque a tragico quodam Graeco eam inventam esse suspicor; quis autem hic fuerit diiudicari nequit, nam Epei Euripideae solus titulus in marmore Albano CIG 6047 (ΕΠΕΟΣ) superest, neque constat, quae exemplaria Graeca aut Livius Andronicus et Naevius in Equo Troiano, aut Accius in Deiphobo imitati sint[1]).

Cum equo fabricato callidissimae insidiae Troianis compositae essent, Achivi noctu Tenedum profecti sunt, Sinonem autem, ut sibi in tempore signum reditus daret, reliquerunt. Cuius apud Homerum nulla fit mentio, Arctinus idem munus ei tribuit, quod Apollodorus: καὶ Σίνων τοὺς πυρσοὺς ἀνίσχει τοῖς Ἀχαιοῖς, πρότερον εἰσεληλυθὼς προσποίητος, itemque apud Leschen, ubi temporis notam addit fragmentum 12:

νὺξ μὲν ἔην μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη.

Num autem in Iliade parva hae solae eius partes fuerint, non satis apparet ex tabula Iliaca, ubi eum captivum adspicimus antegredientem Troianorum choro, qui equum in urbem introducunt. Sed quia Sinon hic cum equo coniunctus invenitur, veri simile est iam in hoc carmine Sinonem Dardanis persuasisse, ut machinam illam in muros suos reciperent, quam scae-

1) Confer Ribbeckii Hist. trag. Rom. p. 26, 48 s., 410 s.

nam Sophocles in Sinone haud dubie perhibuerat ac post illum Vergilius eximia arte descripsit[1]). Recentiores utroque officio eum functum esse narrant, e. gr. Quintus (XII 360 ss. et XIII 23 ss.), Tzetzes (Posthom. 680 ss. et 720), Triphiodorus (219 ss. et 510 s.), qui, ut Apollodorus ex Arctino, haud male addit, in Achillis sepulcro — erat enim *σῆμα πελώριον* (Quint. III 740) — Sinonem Graecis Tenedi morantibus faces accendisse. Deinde equum ab eo apertum esse refert Vergilius (et Hyginus), atque etiam apud Quintum (XIII 30 ss.) viros equo inclusos certiores facit iamiam tempus adesse, ut egrederentur.

2. Troianorum consilium de equo ligneo, quale traditio epica perhibuerit, ut supra armorum iudicium, ex duorum carminum epitoma Procliana componere oportet: Il. parv. *οἱ δὲ Τρῶες τῶν κακῶν ὑπολαβόντες ἀπηλλάχθαι τόν τε δούρειον ἵππον εἰς τὴν πόλιν εἰσδέχονται, διελόντες μέρος τι τοῦ τείχους, καὶ εὐωχοῦνται ὡς νενικηκότες τοὺς Ἕλληνας*, quae minus accurate excipiuntur ab Ilii persidis initio: *ὡς τὰ περὶ τὸν ἵππον οἱ Τρῶες ὑπόπτως ἔχοντες περιστάντες βουλεύονται ὅ τι χρὴ ποιεῖν· καὶ τοῖς μὲν δοκεῖ κατακρημνίσαι αὐτόν, τοῖς δὲ καταφλέγειν, οἱ δὲ ἱερὸν αὐτὸν ἔφασαν δεῖν τῇ Ἀθηνᾷ ἀνατεθῆναι· καὶ τέλος νικᾷ ἡ τούτων γνώμη. τραπέντες δὲ εἰς εὐφροσύνην εὐωχοῦνται ὡς ἀπηλλαγμένοι τοῦ πολέμου. ἐν αὐτῷ δὲ τούτῳ δύο δράκοντες ἐπιφανέντες τόν τε Λαοκόωντα καὶ τὸν ἕτερον τῶν παίδων διαφθείρουσιν· ἐπὶ δὲ τῷ τέρατι δυσφορήσαντες οἱ περὶ τὸν Αἰνείαν ὑπεξῆλθον εἰς τὴν Ἴδην.* Verba ipsa indicant Apollodorum in tota hac parte epitomam ex Arctini Ilii perside secutum esse; itaque, quae nova accedunt, non Leschae, sed Arctini carmen illustrant.

Troianos deliberantes, quid suspecto Danaorum dono facerent, ut apud Apollodorum *παρὰ τοῖς Πριάμου βασιλείοις*, sic etiam apud Arctinum in arcem convenisse praeter totum rerum conexum inde patet, quod nonnulli ut de rupe praecipitaretur proponebant. Eademque versio animadvertitur in Odyssea (*ϑ* 503 s.), ubi heroes Achivi

1) Hic facium incensionem ad Helenam transtulit, Aen. VI 517 s.

εἵατ᾽ ἐνὶ Τρώων ἀγορῇ κεκαλυμμένοι ἵππῳ·
αὐτοὶ γάρ μιν Τρῶες ἐς ἀκρόπολιν ἐρύσαντο.

Ex Leschae carmine de hoc consilio nihil traditum est, sed fortasse ex reliquis Procli excerptis in Iliade parva alium rerum ordinem exstitisse evincitur. Namque eo, quod Troiani, ut equum in urbem reciperent, aliquam moenium partem diruerant (διελόντες μέρος τι τοῦ τείχους), iam ipsi hostibus appropinquantibus urbem aperuerant atque id, quod Achivi immensa machina constructa[1]) eventurum esse sperabant, perfecerant. Itaque si qua in Iliade parva fuit Troianorum deliberatio, eam antequam muros suos delerent factam esse oportet. Quod ut statuamus suadet etiam Sinonis, de quo modo vidimus, figura in tabula Iliaca expressa, atque Cassandra, quae in portis Scaeis adstans exitiabilis equi introitum in urbem impedire frustra conatur. Vergilius igitur, ceterum Leschae vestigia legens, hoc tantum novasse videtur, quod Laocoontis monitum atque exitium, de quo ex Iliade parva nihil constat, ex arce in litus transtulit atque sacerdotis poenam paulo post eius peccatum accidisse narrat.

Tripartitae Troianorum sententiae de equo aut concremando aut ex arce deiciendo aut Minervae dedicando cum Homeri versibus modo citatis concinunt, praeterquam quod primo loco id potius proponitur, quod postea egregio Vergilii invento (Aen. II 50 s.) ansam praebuit:

ἠὲ διαπλῆξαι κοῖλον δόρυ νηλέϊ χαλκῷ.

Apollodorus autem haec proposita verbum fere ex verbo a Procli epitoma descripsit, unde apparet etiam ea, quae mediis Procli verbis inserta in codice Vaticano antecedunt: *Κασάνδρας δὲ λεγούσης ἔνοπλον ἐν αὐτῷ δύναμιν εἶναι, καὶ προσέτι Λαοκόωντος τοῦ μάντεως* ab eodem fonte derivata esse, praesertim cum causae mentio, cur Laocoon tam lamentabilem

1) Vergilius quoque immensam equi magnitudinem perspicue describit causamque recte addit v. 187:

ne recipi portis aut duci in moenia possit,

quam ob rem Troiani (v. 234) urbis muros 'dividunt' (confer Procli verba διελόντες μέρος τι τοῦ τείχους). Etiam in tabula Iliaca equum super tabulae marginem superiorem paulum eminentem adspicimus.

mortem obierit, apud Proclum desideretur. Apud Arctinum igitur Cassandra cum Laocoonte in arce, cum Troiani de equo contionem haberent, cives suos adhortata est, ne nimis Danaorum donis confiderent. Iam perspicimus, quanta arte Lesches hoc vaticinium Cassandrae exaggeraverit atque tragicam fere vim ei addiderit, cum in ipsis Scaeis portis vatem equo pernicioso iamiam in urbem intraturo se obiecisse finxerit, qualem eam in tabula Iliaca conspicimus.

De Laocoonte Carolus Robert (Bild und Lied p. 192—212) tam docte apteque ad persuadendum disputavit, ut ea tantum, quae ad Apollodori narrationem intellegendam pertinent, monuisse satis habeam. Atque Arctinum quidem is, qui infra in Aeneae fuga (apud hunc poetam cum Laocoontis tristi fato arte cohaerente) versionem vulgatam secuturus erat, imitari non potuit. Summa autem differentiae in eo posita est, quod in carmine epico Laocoon cum alterutro filio interfectus est, quo praesagio admonitus Aeneas ex urbe fugere properavit, contra in bibliotheca uterque filius serpentium amplexibus occumbit, pater autem, ut apud Quintum (ubi oculorum luminibus privatur XII 485), progeniei suae superstes relinquitur. Sed etiamsi haec discrepantia non animadverteretur, tamen ipsa prima verba Apollodori: *Ἀπόλλων δὲ αὐτοῖς σημεῖον ἐπιπέμπει,* dilucide demonstrarent Apollodorum longe alium auctorem hic exscripsisse. Nam omnino non sensit, quae toti fabularum conexui prorsus repugnarent, se proferre. Quid enim? Tam cito divinus ille Troianorum fautor, qui antea Hectorem Paridemque tam propitie adiuverat, mentem suam permutavit et Troianorum ira incensus est, ut in summo rerum discrimine ipse portento fatali eos impelleret ad hostium machinam servandam atque fovendam, qua re ad certum interitum vocarentur? Hoc fieri nullo modo potuit.

Contra nullum offensionis vestigium remanet, si alteram respicimus huius fabulae versionem, quam Robertus egregie descripsit diligenterque a Troianorum fato et Aeneae fuga seiunxit: Laocoontem, quod Apollinis in sacro cum uxore concubuisset, numini irato filiis occisis iustas poenas solvisse. Hanc autem fabulam a Bacchylide (fr. 17) et Sophocle

in Laocoonte tractatam esse certa docent testimonia. Itaque veri simile est ex hoc vel illo fonte Apollodorum quoque ea hausisse, quae mediis rebus Troicis ab Arctino petitis inserere non dubitavit, minus ille quidem cautus, quam Hyginus (f. CXXXV), qui hanc historiunculam, cuius a genuina forma equi Troiani mentionem alienam fuisse demonstravit Robertus, a cyclo Troico apte seclusit. — Sed etiam Arctini carminis notitiae parvulum momentum addere licet. Vatem enim fuisse Laocoontem, quem Neptuni sacerdotio functum esse Vergilio credideramus, ex bibliotheca discimus. Quod haud inexspectatum evenit, nam Apollinis sacerdotem Hyginus et Servius (in Aen. II 201) eum vocaverunt, atque hoc Laocoontis munus ab antiquiore quodam fonte adsumptum esse suspicatus erat Robertus, nunc confirmat Apollodorus. Huius enim verba *Λαοκόωντος τοῦ μάντεως* non ad alterum illum fontem pertinent, sed in media epitoma ex Arctini Ilii perside leguntur. Sic quasi semina quaedam novae fabulae a Bacchylide et Sophocle procreatae iam in epico carmine latebant.

3. Restat lepidissima de Anticlo narratiuncula cuivis ex Homero (δ 271—289) nota: Helenam noctu ad equum ligneum venisse et singulorum heroum nomina pronuntiasse, ut quid in equo inesset, cognosceret; qua re nesciam in summum discrimen vocasse Graecos, cum Deiphobum maritum se secutum esse non sensisset. Ulixem autem hic quoque omnes servasse, cum eos, ne egrederentur, retineret, atque in primis Anticlo, ne responderet, os compressisse. Neque deest Anticli memoria apud Quintum (XII 317) et Triphiodorum (476 ss.), qui reliquae fabulae hilaritati tragicum exitum satis inepte adsuit. Bibliothecae versio autem tam bene cum Homeri (δ 271 ss.) descriptione qualis nobis exstat (nam v. 279 et 285—289 iam Aristarchus eiecerat) concinit, ut de eius origine Homerica vix ulla dubitatio relicta esse videatur. Sed iam in prodigio Aulidensi (§ 14, 1), quam facile tali coniectura falli possimus, vidimus, et quid omnino de Apollodori studiis Homericis statuendum sit, ex ep. c. XVIII (p. 204 s.) elucebat. Neque de epitoma carminum ex Homero interpolata licet cogitare, quoniam hic quoque opinio nostra de uberioribus cycli epici excerptis certo Aristarchi

testimonio firmatur schol. Hom. δ 285: *Ἀρίσταρχος τοὺς ε' ἀθετεῖ, ἐπεὶ ἐν Ἰλιάδι οὐ μνημονεύει Ἀντίκλου ὁ ποιητής .... ὁ Ἄντικλος ἐκ τοῦ κύκλου.* Quod recentiores Welckerum (Cycl. ep. I p. 72, II p. 244 s.) secuti propter ludicram fabulae indolem ad Leschae Iliadem parvam (fr. 10 K.) referre maluerunt quam ad Arctini Ilii persidem: minus recte, ut nunc evincitur; nam cum apud Apollodorum et quae antecedunt de consilio Troianorum et de Sinone, et quae sequuntur de Priami morte, ad verbum expressa sint ex Arctini epitoma, non dubitabimus perexiguum huius carminis fragmentorum numerum hoc scholio Homerico augere.

Ne ex Odyssea Anticlum pedem in bibliothecam intulisse statuamus, etiam quae insequitur historiuncula de Echione Porthei filio monet, qui cum summo animi impetu incensus ex equo modo aperto desiluisset, nimiam audaciam praecipiti morte luit. Quem enim quaeso locum Homericum hic imitari, aut unde omnino hanc fabulam ceterum nusquam traditam elicere potuit mythographus, nisi ex fonte reconditiore ac paene obsoleto, qualem Arctini carmen fuisse constat? Neque quisquam ab huius poesis tenore ac proprietate alienam esse hanc materiam contendet. Cui enim Apollodori verba legenti non in mentem venit Protesilai mortis atque oraculi illius, quod a posteriore poeta excogitatum esse nobis non persuasimus: *τὸν ἀποβάντα πρῶτον πρῶτον μέλλειν τελευτήσειν* (conf. § 16, 2 init.). Itaque hic quoque agnoscimus novum vestigium deorum in mortales invidiae, quam opinionem ab Herodoto excultam iam Homericae aetatis propriam fuisse patet ex multis Homeri locis, e. g. δ 181[1]).

§ 21.

ILII PERSIS.
PRIAMUS. GLAUCUS ET AENEAS. HELENA. AETHRA. CASSANDRA.

(cap. XXI 18—20.)

1. Dum haec in urbe geruntur, reliqui Achivi, qui iam a Tenedo appropinquaverant, signo a Sinone dato naves appellunt

1) Confer egregiam Lehrsii commentationem (Popul. Aufs. p. 35 ss.).

atque in urbem irrumpunt. Incipitur urbis excidium, quod sic breviter adumbravit Proclus: *καὶ Σίνων τοὺς πυρσοὺς ἀνίσχει τοῖς Ἀχαιοῖς, πρότερον εἰσεληλυθὼς προσποίητος. οἱ δὲ ἐκ Τενέδου προσπλεύσαντες καὶ οἱ ἐκ τοῦ δουρείου ἵππου ἐπιπίπτουσι τοῖς πολεμίοις καὶ πολλοὺς ἀνελόντες τὴν πόλιν κατὰ κράτος λαμβάνουσι. καὶ Νεοπτόλεμος μὲν ἀποκτείνει Πρίαμον ἐπὶ τὸν τοῦ Διὸς τοῦ ἑρκείου βωμὸν καταφυγόντα· Μενέλαος δὲ ἀνευρὼν Ἑλένην ἐπὶ τὰς ναῦς κατάγει, Δηίφοβον φονεύσας. Κασσάνδραν δὲ Αἴας ὁ Ἰλέως*[1]) *πρὸς βίαν ἀποσπῶν συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον.* Atque totius narrationis ordinem et conexum in fine huius capitis (p. 253 s.) examinabimus: nunc primum singula facinora pertractemus, quae multis modis epitoma nostra illustrantur.

1. Sic statim adventum Achivorum Apollodorus accuratius descripsit. Hi enim non Tenedi morati erant, donec Sinon faces accendisset, sed iam prima nocte stationem suam clam reliquerant (Verg. II 254 s.), ut signo accepto amicis equo inclusis sine ulla mora auxilio venire possent. Illis autem id primum agendum erat, ut portas aggredientibus aperirent: unde discimus, quod iam supra (p. 232) ex Troianorum consilio in arce demum habito concluseramus, apud Arctinum non, ut in Iliade parva, moenium partem, ut equus intrare posset, dirutam esse.

Ex rebus a singulis heroibus in urbis excidio gestis Priami caedem a Neoptolemo perpetratam ab Ilii persidis epitoma translatam esse ipsa verba indicant, nisi quod aut Apollodorus argumentum cyclicum, aut epitomator noster Apollodorum neglegentius exscribens haec protulit: *ἐπὶ τοῦ Ἑρκείου Διὸς βωμοῦ καταφεύγοντα Πρίαμον.* Idem Polygnotus Delphis expresserat multique vasorum fictilium pictores[2]), neque differunt recentiora testimonia, ut Quint. XIII 220 ss., Triphiod. 634 ss., Tzetz. Posthom. 732 ss. Lesches autem etiam auxerat Neoptolemi crudelitatem[3]), ut legimus apud Pausaniam X 27, 2: *Πρίαμον δὲ*

1) *Ὀϊλέως* proposuit Heynius, sed vide Zenodotum schol. Hom. *O* 333.
2) conf. Overbeck, Die Bildwerke z. theb. u. troisch. Sagenkr. p. 621 ss.
3) Aliter iudicare video Wilamowitzium (Robert, B. u. L. p. 225).

οὐκ ἀποθανεῖν ἔφη Λέσχεως [fr. 15 K.] *ἐπὶ τῇ ἐσχάρᾳ τοῦ Διός* (scil. ut Polygnotus eum adumbraverat), *ἀλλὰ ἀποσπασθέντα ἀπὸ τοῦ βωμοῦ πάρεργον τῷ Νεοπτολέμῳ πρὸς ταῖς τῆς οἰκίας γεν'σθαι θύραις.* Hic igitur antiquiorem Arctini versionem etiam posteriore aevo Leschae praelatam esse videmus.

2. Contra Glaucum, Antenoris[1]) filium, ab Ulixe et Menelao servatum esse neque Proclus narrat, neque alibi eandem versionem investigare mihi contigit, quamquam Antenoridas propter patris erga Graecos benevolentiam ex communi omnium Troianorum exitio exemptos esse alii aliter rettulerunt[2]). Ex quibus praeter nominum discrepantiam proxime ab Apollodori relatione absunt, quae Lesches non de Glauco, sed de alio Antenoris filio memoraverat fr. 13 K. (Paus. X 26, 8): *Λέσχεως δὲ τετρωμένον τὸν Ἑλικάονα ἐν τῇ νυκτομαχίᾳ γνωρισθῆναί τε ὑπὸ Ὀδυσσέως καὶ ἐξαχθῆναι ζῶντα ἐκ τῆς μάχης φησίν.* Fortasse etiam nostra fabula sic accuratius descripta erat, ut, cum Menelaus et Ulixes Glauco obviam facti essent, hic eum salvum e tumultu educeret, dum ille ad Deiphobi domum pergeret. Nam quid Ulixes praeterea in urbis excidio gesserit, non legimus apud Apollodorum. Quod autem hi potissimum heroes nostro loco coniuncti sunt, inde explicatur, quod eosdem quondam Antenor a Troianorum perfidia defenderat. Sed etiam apud alios scriptores Glaucum a Graecis, fortasse ipso a Menelao, servatum esse demonstrat Tzetzae narratio ad Lycophr. 874: *Γλαῦκος Ἀκάμας Ἱππόλοχος, οἱ Ἀντηνορίδαι, παρ' Ἀκαμνάκει βασιλεῖ Λιβύων ᾤκησαν, μὴ βουλόμενοι συνοικεῖν τοῖς τὸ Ἴλιον πορθήσασιν, οἳ μεθ' ἱκανὸν χρόνον τὸν μεταξὺ Κυρήνης καὶ τῆς θαλάσσης Ἀντηνοριδῶν λόφον ἔκτισαν καὶ ᾤκησαν.* Hanc fabulam ex primo Lysimachi Nostorum libro (fr. 9 M.) haustam esse Tzetzes affirmat; multo autem vetustiorem eam fuisse declarant Pindari versus Pyth. V 81 ss.:

---

1) Nam *Ἀντήνορος* pro *ἀγήνορος* reponendum esse consentaneum est. Eadem corruptela observatur Tzetz. in Lycophr. 874.

2) Fabularum varietatem diligenter congessit Stiehlius, Philol. XV p. 593 ss.

σεβίζομεν Κυράνας ἀγακτιμέναν πόλιν·
ἔχοντι τὰν χαλκοχάρμαι ξένοι
Τρῶες Ἀντανορίδαι· σὺν Ἑλένᾳ γὰρ μόλον,
καπνωθεῖσαν πάτραν ἐπεὶ ἴδον | ἐν Ἄρει[1]).

Quae cum ita sint, non sine aliqua veritatis specie conicere mihi videor, iam apud Arctinum, quem et antea in Priami morte et postea in Helenae et Menelai congressu Apollodorus exscripsit, Menelaum cum Ulixe, priusquam ad Deiphobi domum perveniret, in Glaucum incidisse eumque e media caede sustulisse. Iliadis parvae autem poeta Glauco Helicaonem substituit, quia ille fortasse tum iam mortuus erat. Nam non modo apud Dictyn (IV 7) Glaucus ab Agamemnone necatur, verum etiam Vergilius (Aen. VI 484 s.), quem saepius Leschae vestigia legisse probabile nobis videbatur, Aeneam inducit apud inferos 'Glaucumque Medontaque Thersilochumque, tris Antenoridas' cernentem.

Ab auxilio, quod Menelaus et Ulixes Glauco tulerant, Apollodorus non statim Menelaum ad Helenam pergentem comitatur, sed apte cum Glauco coniunxit memoriam alterius Troiani, qui patriae fata aspera rupit, Aeneae, qui, ut in Arctini Ilii perside nullus locus ei relictus erat, sic in compendio historiae fabularis imperatorum Romanorum aetate conscripto deesse non poterat[2]). Aeneas igitur cum patre umeris imposito effugit, Graeci autem eum *διὰ τὴν εὐσέβειαν* non impediverunt. Pietas Aeneae non primo a Vergilio laudibus elata est, sed iam multo ante celeberrima erat, ut elucet ex Xenoph. Cyneg. 1, 15[3]): *Αἰνείας δὲ σώσας μὲν τοὺς πατρῴους καὶ μητρῴους θεούς, σώσας δὲ καὶ αὐτὸν τὸν πατέρα, δόξαν εὐσεβείας ἐξηνέγκατο, ὥστε καὶ οἱ πολέμιοι μόνῳ ἐκείνῳ ὧν ἐκράτησαν ἐν Τροίῃ ἔδοσαν μὴ συληθῆναι.* Habes eandem

---

1) Aliam fabulam de Antenoris eiusque filiorum erroribus vide apud Strabonem (XIII p. 608), qui Sophoclis Antenoridas fortasse secutus eos in Thraciam pervenisse narrat, deinde autem *διεκπεσεῖν εἰς τὴν λεγομένην κατὰ τὸν Ἀδρίαν Ἑνετικήν* (conf. Seeligerum l. l. p. 33).

2) Fabularum varietatem vide apud Woernerum in Roscheri Lex. myth. I p. 160 ss. et Fridericum Cauer, De fabulis Graecis ad Romam conditam pertinentibus diss. Berol. 1884.

3) Confer Hom. Y 298 s.: *κεχαρισμένα δ' αἰεὶ δῶρα θεοῖσι δίδωσι.*

versionem, quam excerpta nostra praebent iam quarto saeculo Athenis pervulgatam, ubi eadem aetate Stesichori carmina frequenti usu atque laude floruisse certis testimoniis constat, ut e. gr. Socratem eius carmina in deliciis habuisse scimus[1]). Quid igitur veri est similius, quam etiam Xenophontem huius poetae versionem expressisse? Haec coniectura firmatur tabulae Iliacae media parte, quae Stesichori Ilii persidem in subscriptione laudet. In hac enim Aeneam (ΑΙΝΗΑΣ) conspicimus, qui in media caede sacram cistam a Palladis sacerdote accipit, ut eam ab interitu servet[2]). Itaque nisi mera aranea sunt, quae de Stesichoro ab auctore bibliothecae adhibito coniecimus (conf. p. 221 ss.), eum Aeneae fugam ex Stesichori epitoma in Arctini argumentum inculcavisse statuemus.

3. Deinde Menelaus Deiphobi domum intrat, quo trucidato uxorem infidelem ad naves ducit. Verba fere eadem sunt quae apud Proclum exstant, ut de fonte Apollodori nulla dubitatio relicta sit, sed erui nequeat, qua ratione haec fabula in Ilii perside exornata fuerit. In Iliade parva et apud Quintum[3]) (XIII 385 ss.) Menelaus animum induxerat improbam illam Sirenem nulla misericordia admissa statim trucidare, sed tantum efficiebat

1) v. Bergk, Hist. Litt. Graec. II p. 296.

2) Nimis caute de huius scaenae origine Stesichorea dubitat Seeligerus (Die Ueberlief. d. griech. Heldens. b. Stes. I p. 34): Ob freilich die Scene der ilischen Tafel, welche darstellt, wie Aineias von dem Priester der Pallas die Heiligtümer entgegen nimmt (nach der Erklärung von O. Jahn), nach Stesichoros komponiert und nicht vielmehr römische Ausschmückung ist, welche auf die sacra besonderen Wert legt, lasse ich dahingestellt. Quantum enim huic potissimum Aeneae facinori longe ante Romanorum fabulas Graeci tribuerint, ipsa verba Xenophontis demonstrant, qui primo loco non patris salutem, sed sacrorum conservationem praedicaverit.

3) Notabile est Quintum in Ilii excidio eundem fere singularum scaenarum ordinem adhibuisse, quem Apollodoreum fuisse nunc videmus:

Quint. XIII	220 ss. Priamus.	Apollod.:	Priamus.
	251 ss. Astyanax. Andromache.		—
	293 ss. Antenor.		Glaucus Antenoris filius.
	300 ss. Aeneas.		Aeneas.
	354 ss. Deiphobus. Helena.		Deiphobus. Helena.
	420 ss. Cassandra.		Aethra.
	496 ss. Aethra.		Cassandra.

eius pulchritudo nullo velamine tecta (fr. 16) Venerisque potentia, cui Agamemnonis adhortationes Quintus addidit, ut gladius eius ex manibus elaberetur. Haec omnia a Lesche inventa esse atque Arctinum nihil aliud enarrasse, nisi quae in miserrima epitoma servata sunt, ex Procli silentio cum Engelmannio (Roscher, Lex. myth. I p. 1945 et 1970) non statim concluserim[1]).

4. Cum Helenae apte coniungitur Aethrae memoria, quae, rapta quondam a Tyndaridis (Apollod. III 10. 7, 4, ep. VI 2), inter Helenae servas commemoratur *Γ* 144. Quod Thesei matrem Homerus memoraverat, Atheniensibus occasionem exoptatissimam praebebat, ut herois sui filios in fabularum Troicarum cyclum insererent; conf. Hellanici fr. 75: *Ἑλλάνικος δὲ λέγει, διὰ τοῦτο αὐτοὺς ἀπελθεῖν ἐκεῖσε, ὅπως, εἰ μὲν ἕλοιεν Ἕλληνες τὴν Τροίαν, λάφυρον αὐτὴν (τὴν Αἴθραν) καὶ γέρας λάβωσιν, εἰ δὲ μή, κἂν λυτρώσασθαι δώροις*[2]). Atque recentiorem huius narrationis originem ipse Apollodorus sensisse videtur, cum explicandi gratia subscriberet: *καὶ γὰρ τούτους λέγουσιν εἰς Τροίαν ἐλθεῖν ὕστερον.* Quae autem de Aethrae recognitione perhibet, et ab Arctino et a Lesche longe recedunt. Namque apud Arctinum (i. e. in fragmento quod vocatur cycli epici multis modis vexato, quod eius Ilii persidi nequaquam abiudicandum esse nunc inter omnes constat) Acamas et Demophon post urbis expugnationem tum demum, cum Achivi captivos per singulos duces distribuerent, aviam suam reppererunt et ad naves secum duxerunt[3]). In Leschae autem Perside (fr. 17) Demophon Aethram, postquam in castra deductam nepotes agnoverunt, ab Agamemnone exposcit, qui praecone misso ab Helena impetrat, ut eam in libertatem vindicet.

Contra apud Apollodorum in ipsa urbis disturbatione, postquam Menelaus Helenam revisit, Theseidae Aethram nancti secum abducunt. Hac mutatione inducta vim atque effectum

---

1) De aliorum versionibus vide Engelmannium l. c. p. 1945 ss., de monumentis ib. 1970 ss. Stesichoream bene exposuit Seeligerus l. c. p. 37 s.

2) Cum hoc scholio in Eurip. Hec. 123 confer schol. ad Eurip. Troad. 31, ubi Menestheus quoque additus est.

3) Proclus: *Δημοφῶν τε καὶ Ἀκάμας Αἴθραν εὑρόντες ἄγουσι μεθ' ἑαυτῶν,* et schol. Eurip. Troad. 31 [fr. 3.].

huius recognitionis haud mediocriter augeri quis est quin sentiat? Atque, ni fallor, etiam nomen poetae, cui praeclarum hoc inventum debemus, nobis servatum est, si qua fides tabulae Iliacae habenda est[1]). In hac enim ista scaena sic expressa est, ut Aethrae inter medios nepotes suos, qui eam bracchiis sublevant, abeunti aptiorem subscriptionem vix addere possis, quam Apollodori verba: *ἀπάγουσι δὲ καὶ τὴν Θησέως μητέρα Αἴθραν οἱ Θησέως παῖδες Δημοφῶν καὶ Ἀκάμας*. Hic igitur Stesichorum Apollodori auctorem certo deprehendimus, ut eis, quae supra de eius carmine coniecimus (p. 221 s., 226, 239) aliquam quidem testimonii auctoritatem suppeditare contingat.

Quibus autem coloribus poeta Himeraeus hanc scaenam exornaverit, fortasse ex pulchra Quinti descriptione divinare possumus (XIII 496—543). Apud hunc enim in medio tumultu hominum clamantium fugientium morientium Aethra Demophonti et Acamanti nescia nesciis obviam datur. Quam cum iam ad castra abrepturi sint Hecubam esse putantes, illa, non Troiana a gente oriundam sed Thesei matrem se esse affirmans, ut ad Thesei filios sese comitentur, eos implorat atque obsecrat. Sic prorsus inexspectato nepotes aviam suam, cuius liberandae causa Troiam profecti erant, cognoscunt atque summo ex periculo laeti tollunt. Hoc inventum tam egregium est tamque admirabilem transitum a summa anxietate atque desperatione ad exsultantem laetitiam praebet, ut non Quintum, sed antiquiorem quendam poetam haud spernendi ingenii eius auctorem fuisse facile nobis persuadeamus. Ac primum quidem de tragico quodam fonte huius recognitionis cogitaveris, sed frustra tragicorum reliquias evolvi: nam neque in fabularum deperditarum argumentis vel minimum Aethrae vestigium reperire mihi contigit, neque Euripides in Hecuba aut in Troadibus, ubi Hecubae, quondam felicissimae Troianorum reginae laetaque liberorum suorum segete circumdatae, nunc tristissimo fato oppressae,

1) Haud ignoro, quam sedulo recentiores critici tabulae Iliacae auctoritatem Stesichoream minuere studeant. Sed cum tabulae subscriptione constet epitomam carminis Siculi ab artifice adhibitam esse, de singularum scaenarum fide non prius dubitare licebit, quam eas a Stesichori Ilii perside alienas fuisse certo quodam argumento comprobatum erit.

opportunissime Aethra opponi potuit, quondam Helenae serva, nunc ab ipsis nepotibus pristino honori reddita, ullam Aethrae mentionem admiscuit. Unde concludimus hanc fabulam vere Atticam tamen a tragicis quidem in argumentorum suorum cyclum non receptam atque omnino quinto saeculo Athenis minus celebratam fuisse. Eademque causa impedit, quominus probemus, quod Robertus (B. u. L. p. 76) dubitans proposuit, Aethram interpolatione Attica in Procli epitomam et fabularum Stesichorearum adumbrationem esse delatam.

Quid igitur? si in lato campo tragoediarum Atticarum ne minimum quidem frustulum, quod ad hanc ἀναγνώρισιν summo poeta scaenico dignam pertineret, repperimus, nonne ad eum facile deducimur, qui, singulis fabulis non minus audacter quam ingeniose ac feliciter transformatis, viam poetis tragicis munivit? Ergo ex Stesichori Ilii persidis epitoma ampliore, si mihi credis, Quintus Smyrnaeus vividum hunc rivulum in reliquam carminis sui siccitatem induxit[1]), ex eodemque fonte cum tabulae Iliacae artifex, tum Apollodorus hauserunt. Atque si in nonnullis vasis Atticis rubra pictura exornatis idem fere adumbratum est[2]), quod in tabula Iliaca adspicimus, ne hoc quidem, recordantes quanto opere Athenienses Stesichori carmina adamaverint (conf. p. 239), casui tribuere audebimus.

5. Quae deinceps de Aiacis scelere leguntur, aliqua ex parte cum Arctini epitoma congruere videntur (conf. Apollodori verba περιπεπλεγμένην τῷ ξοάνῳ cum Proclo: συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον). Sed iam dubium est, utrum verbum βιάζεσθαι ab Apollodoro adhibitum eodem sensu accipiendum sit, quo apud Proclum πρὸς βίαν ἀποσπῶν, an aptius subintellegamus usitatissimam notionem 'vim alicui inferre'. Quam si praeferimus, ad eam versionem deducimur, quam ab epica traditione alienam primus Callimachus nobis servavit: Aiacem Cassandram non modo a Minervae signo vi abstraxisse, sed

1) Confer locum de Heleno (X 344 ss.), quasi interpolamentum ab ipso poeta insertum, de quo exposuimus p. 219 adn. 3.

2) Overbeck, l. l. tab. 26, 13 s. Versionem paulo discrepantem artifex vasis celeberrimi Neapolitani ('Vivenziovase', Baumeister tab. XIV p. 742) secutus est.

etiam ipso in sacro vitiasse[1]). Disceptatur haec quaestio consensione aperta, quam inter sequentia Apollodori verba: διὰ ⟨τοῦ⟩το τὸ ξόανον εἰς οὐρανὸν βλέπειν, et Callimachi (fr. 13[a]) narrationem intercedere videmus, quae ex primo Aetiorum libro exstat apud schol. Hom. *N* 66: *Κασάνδραν γὰρ τὴν Πριάμου, ἱκέτιν οὖσαν Ἀθηνᾶς, ἐν τῷ τῆς θεοῦ σηκῷ κατῄσχυνεν, ὥστε τὴν θεὸν τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ ξοάνου εἰς τὴν ὀροφὴν τρέψαι*[2]), praesertim cum etiam infra, ut videbimus, Aiacis mors et sepultura (ep. XXII 1) ex eodem fonte derivatae sint.

§ 22.

PRAEDAE PARTITIO. ASTYANAX. POLYXENA. HECUBA. LAODICE. ACHIVORUM DE AIACE IUDICIUM.

(cap. XXI 21—23.)

1. Urbe expugnata Troianisque occisis Achivi eam incendunt (ἐμπρήσαντες τὴν πόλιν Procl.) praedamque distribuunt. Ac primum quidem, postquam dis immortalibus debitas grates sacrificio confecto obtulerunt, Astyanactem de turri deicientes trucidaverunt. Etiam de Astyanactis morte quid et Arctinus et Lesches narraverint, fontes nostri breviter indicant. Namque supersunt Leschae versus (fr. 18), quibus describitur Neoptolemum Andromacham ad naves captivam deduxisse, eius filium infantem autem nutricis e gremio abrep-

---

1) Quamquam Callimachus, unus scilicet ex eorum poetarum numero, qui ne fabularum traditionem mutarent diligenter cavebant (ἀμάρτυρον οὐδὲν ἀείδω), minime huius versionis inventor habendus est. Ceterum confer de hac fabula Welckerum (Trag. I p. 162 ss.) de Sophoclis Aiace Locrensi disputantem.

2) Vasorum pictores omnes epicam traditionem ante oculos habuerunt (Overbeck, l. l. p. 635 ss.), recentiorem paucae gemmae indicant ab Overbeckio p. 652 s. enumeratae. Ex quibus una (nr. 141, tab. XXVI, 7) minus recte a viro docto explicata propterea memorabilis est, quod versionis Callimacheae dilucida vestigia ostendit. Non enim, quia nescio qua ratione Pallas in nubibus eis visa est, sed prodigio a Callimacho descripto obstupefacti Cassandra et Aiax coram Palladis statua ipsi quoque, ut illa, sua sponte oculos ad caelum tollunt.

tum de muris detrusisse. Lesches igitur Astyanactis mortem inter nocturna ipsius expugnationis facinora transposuerat, quem secuti vasorum pictores nepotis necem cum avi occisione ab eodem heroe non minus crudeliter perpetrata plerumque coniunxerunt[1]). Contra apud Arctinum Neoptolemo ab Achivis Andromacha muneri datur, postquam Ulixes Astyanactem de Troiae muris deiecit[2]). Cuius relationem, quam tragici (Euripides et Seneca in Troadibus, Accius in Astyanacte) imitati sunt, Apollodorus quoque praetulit.

In contione igitur, quam de praedae partitione Achivi habebant[3]), Hectoris filium, ne patris ultor quondam exsisteret, de turri eiusdem urbis, cuius regnum ei paratum fuerat[4]), praecipitare constituunt. Atque facile Welckero (Cycl. ep. II. p. 187) credemus Ulixem ut executorem sic etiam inventorem huius consilii fuisse, quod re vera in Euripidis Troadibus narratur. Contra Apollodori verba: *καὶ θύσαντες πᾶσι τοῖς θεοῖς Ἀστυάνακτα ἀπὸ τῶν πύργων ἔρριψαν,* fortasse suadent, ut aliquem conexum inter hoc sacrificium et Astyanactis caedem interfuisse suspicemur, qualem indicat Seneca Troad. 533 'Augur haec Calchas canit'. Etiam in Accii tragoedia[5]) Calchantis aliquae partes fuisse videntur.

2. Optime cum Astyanacte statim Polyxenae mors coniuncta est, quam in finem operis Arctinus relegasse videtur, ut similiter, atque Iphigeniae sacrificatio Achivis, cum Troiam profecturi essent, maria patefecerat, nunc Polyxena mactata

---

1) Overbeck, l. l. p. 621 ss., Baumeister p. 742 ss.

2) Procl.: *καὶ Ὀδυσσέως Ἀστυάνακτα ἀνελόντος Νεοπτόλεμος Ἀνδρομάχην γέρας λαμβάνει*; fr. 2 (schol. Ven. et Vat. ad Eurip. Andr. 10): *Στησίχορον μέντοι ἱστορεῖν (φασιν) ὅτι τεθνήκοι, καὶ τὸν τὴν περσίδα συντεταχότα κυκλικὸν ποιητήν, ὅτι καὶ ἀπὸ τοῦ τείχους ῥιφείη* (*κυκλικόν* add. Wilamowitzius). Nam minus probabilem esse Roberti (B. u. L. p. 229) coniecturam, qui non ad Arctinum, sed ad Leschae fr. 18 haec pertinere arbitretur, inde elucere mihi videtur, quod eidem versioni, quam coniunctis his duobus testimoniis Arctino restituimus, etiam Euripides Troadum fabulam superstruxit.

3) conf. Eurip. Troad. 721 ss.

4) conf. Sen. Troad. 1102: 'sponte desiluit sua in media Priami regna'.

5) Acc. Astyan. fr. 5. Ribbeck, Hist. trag. Rom. p. 413 s.

incolumes in patriam reveherentur. Eandem fabulam Sophocles in Polyxena et Euripides in Hecuba (37 ss. et 107 ss.) ante oculos habuerunt, qui ex Nostis Achillis umbram Agamemnoni visam addiderunt. Nam si iam in Ilii perside ipse Achilles Polyxenae immolationem expostulasset, Proclus, qui data opera et in Aethiopide et in Nostis Achillis visionem commemoraverat, vix eam hoc loco omisisset. Itaque in Perside aut Achivi, innumerabilium Achillis meritorum memores, ut reliquis ducibus *καθ' ἐξαίρετον* nobilissimas captivas ex praedae copia exemerunt, sic etiam Achillem quamvis mortuum simili fortitudinis praemio exornandum esse intellexerunt, aut Calchas hoc quoque suaserat. Hoc si verum est, coniecerit quispiam Apollodorum scripsisse: *καὶ θύσαντες πᾶσι τοῖς θεοῖς Ἀστυάνακτα* ⟨*μὲν*⟩ *ἀπὸ τῶν πύργων ἔρριψαν, Πολυξένην δὲ κατέσφαξαν.*

Cur Polyxenam potissimum Achilli elegerint, nescimus. Nam quae recentiores poetae — de Alexandrinis haud male cogitavit Welckerus (Trag. III p. 1145) — de Achille Polyxenae amore incenso confabulati sunt, non modo ab epicorum, verum etiam tragicorum versionibus alienissima sunt. Carmina Homerica ne nomen quidem huius Priami filiae memorant, atque primus eam Cypriorum auctor in cyclum fabularum Troicarum induxisse videtur. Nam recte viri docti coniecerunt ex hoc carmine petitum esse, quod vetustissimi vasorum pictores saepius expresserunt, Polyxenam[1]) tum, cum Troilus ultimum urbe egrederetur et ab Achille trucidaretur, fratrem comitatam esse atque, dum ille tristi fato occumberet, accurrentis Achillis velocitatem aegre effugisse. Sed hanc fabulam Alexandrinos poetas respexisse vix veri simile est, quoniam Polyxenam in Troili morte praesentem iam Sophocles omiserat[2]), atque recentiores, quantum video, nusquam commemoraverunt.

3. Postquam Astyanax de turri praecipitatus et Polyxena Achillis manibus sacrificata est, reliqui duces donis honorantur. Sic Agamemnon Cassandram accipit, quam omnium Priami

---

1) Polyxenae nomen in Clitiae et Ergotimi vase ex paucis litterulis servatis recte elicuerunt.

2) Confer Luckenbach, D. Verhältn. d. griech. Vasenb. z. d. Gedicht. d. ep. Cycl., Fleckeis. ann. suppl. XI p. 605.

filiarum pulcherrimam fuisse ex Iliade (*N* 365 *Ω* 699) scimus, Neoptolemus Andromacham, Ulixes Hecubam; quae omnia praeter Andromachae mentionem Proclus in pauca haec verba contraxit: *καὶ τὰ λοιπὰ λάφυρα διανέμονται*[1]). Hecubam autem non Ulixi sed Heleno filio concessam esse teste Apollodoro nonnulli tradiderant. Quis huius versionis auctor fuerit non adsequor, quoniam eam praeterea solum apud Daretem repperi c. 42: 'Helenus pro Hecuba et Andromacha Agamemnonem deprecatur commemoratque semper ab his esse dilectum. Etiam his ex consilii sententia libertas concessa est'[2]) et c. 43: 'Helenus cum Cassandra sorore et Andromacha Hectoris fatris uxore et Hecuba matre Chersonensum petit'[3]).

Huic Hecubae mentioni Apollodorus statim reliqua eius fata subiunxit: Helenus eam in canem mutatam in Chersoneso sepelit, unde *Κυνὸς σῆμα* vocatum est[4]). Hanc significationem antiquitus rupi cuidam inhaesisse cognoscimus ex pugna *περὶ Κυνὸς σῆμα* anno quadringentesimo undecimo commissa, de qua vide Thuc. VIII 104 et Diod. XIV 84. Quod nomen fortasse nautae, — nam *κυνὸς ταλαίνης σῆμα ναυτίλοις τέκμαρ* fore Polymestor Hecubae vaticinatur (Eurip. Hec. 1273) — ex saxi figura mirabili elicuerant. De Hecubae autem forma mutata antiquissimum exstat testimonium incerti lyrici[5]) apud Dion. Chrysost. Or. XXXIII: *καὶ μὴν οὐχ οὕτω δεινόν ἐστιν, εἰ*

---

1) Nota Quintum hic quoque (conf. p. 239 adn.) prorsus cum Apollodoro congruere, XIV 20 ss.:

Κασσάνδρην ἄγε δῖος ἐϋμμελίης Ἀγαμέμνων
Ἀνδρομάχην δ' Ἀχιλλῆος ἐῢς παῖς· αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
εἷλκε βίῃ Ἑκάβην.

2) Similiter apud Dictyn 'Neoptolemus filios Hectoris Heleno concedit' (V 16).

3) Longe diversa enarraverat Stesichorus (fr. 19), apud quem Apollo Hecubam iam ante urbis excidium, ut sagaciter auguratur Seeligerus (l. l. p. 36) in Lyciam amolitus erat.

4) Confer Asclepiadis fr. 25 [Schol. Eurip. Hec. 1273]: *περὶ τοῦ κυνὸς σήματος καὶ Ἀσκληπιάδης φησίν, ὅτι κυνὸς καλοῦσι δυσμόρου σῆμα.*

5) quod fugit Hoeferum (Roscher, Lex. myth. I p. 1882 s.). Alcmani hoc fragmentum vindicavit Welckerus (Mus. Rhen. I 1833 p. 430 s.), Simonidi Bergkius (fr. adesp. 101).

ἄνθρωποι μεταξὺ προβάτων φωνὴν λάβοιεν, ... οὐδ' ἂν ὑλακτῶσιν, ὥσπερ τὴν Ἑκάβην οἱ ποιηταὶ λέγουσιν, ἐπὶ πᾶσι τοῖς δεινοῖς τελευταίαν ποιῆσαι τὰς Ἐρινύας

> *. . . χαροπὰν κύνα· χάλκεον δὲ οἱ*
> *γναθμῶν ἐκ πολιᾶν φθεγγομένας ὑπάκουε μὲν Ἴδα*
> *Τένεδός τε περιρρύτα*
> *Θρηΐκιοί τε (πάγοι) φιλάνεμοί τε πέτραι.*

Unde recte Welckerus conclusit hanc fabulam iam a poetis epicis posthomericis tractatam esse. Satis mire Euripides (Hec. 1257 ss.) hoc suum in usum convertit, cum induceret Polymestorem Hecubae praenuntiantem fore ut illa, postquam in mali fastigium adscendisset, canis fieret *πύρσ' ἔχουσα δέργματα* atque hinc in mare desiliret. Quid enim sibi vult canis in summo malo insidens? Haud scio an hic quoque nautarum confabulationes irrepserint de flammis illis, quae mala tempestate in malorum verticibus apparere solent; quas Euripides ad Hecubae mutationem transtulit. Multo planius Hyginus fab. CXI Hecubam in Hellespontum se praecipitasse et canem factam esse narrat. Apud Quintum (XIV 347 ss.) iam in campo Troiano in saxum vertitur canis formam ostendens, quod Graeci redeuntes Calchante auctore secum asportant.

4. Tum reflectens, unde aberraverat oratio, Apollodorus pergit ad Laodicen terrae hiatu absumptam. Cuius fatum cum Antenoridis aliqua ratione cohaesisse suspicor, nam apud Homerum (*Γ* 123 s.)

> *τὴν Ἀντηνορίδης εἶχε κρείων Ἑλικάων*
> *Λαοδίκην, Πριάμοιο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην.*

Itaque perpendentes Achivorum benevolentiam erga Antenorem eiusque progeniem et Laodicae pulchritudinem etiam ab Apollodoro praedicatam sic fortasse supplebimus brevem hanc bibliothecae adumbrationem[1]): In contione de captivorum distributione habita discidium de Laodicae sorte inter duces

---

1) Nota sententiarum conexum: *λαμβάνει δὲ Ἀγαμέμνων μὲν κατ' ἐξαίρετον Κασάνδραν, Νεοπτόλεμος δὲ Ἀνδρομάχην, Ὀδυσσεὺς δὲ Ἑκάβην . . . Λαοδίκην μὲν γὰρ κάλλει τῶν Πριάμου θυγατέρων διαφέρουσαν βλεπόντων πάντων γῆ χάσματι ἀπέκρυψε.*

ortum est, cum alii pulcherrimam virginem sibi expostularent, alii Antenoris nurum in libertatem vindicari vellent[1]), ipsa autem deos anxie imploravit, ut tam tristi fato quacumque ratione eriperetur[2]). Itaque cum iam in eo esset, ut uni ex ducibus[3]) attribueretur, di immortales supplicem consueto modo[4]) omnibus intuentibus (*βλεπόντων πάντων*) ex hominum conspectu abstulerunt.

Huius versionis vetustiora testimonia neque nos perhibemus, neque Pausaniae praesto erant, ut apparet ex eius adnotatione ad Polygnoti picturam Delphicam X 26, 7: *ταύτην* (sc. *Λαοδίκην*) *οὔτε ὑπὸ ποιητοῦ κατειλεγμένην ἐν ταῖς αἰχμαλώτοις ταῖς Τρῳάσιν εὕρισκον, οὔτε ἄλλως ἐφαίνετο ἔχειν μοι τὸ εἰκὸς ἢ ἀφεθῆναι τὴν Λαοδίκην ὑπὸ Ἑλλήνων.* Attamen a traditione satis antiqua Laodicen inter captivas Troianas relatam esse ex duabus Polygnoti picturis concludimus, quarum in altera Plutarchus (Cim. 4, 7) eum narrat *ἐν τῇ Ποικίλῃ στοᾷ γράφοντα τὰς Τρῳάδας τὸ τῆς Λαοδίκης ποιῆσαι πρόσωπον ἐν εἰκόνι τῆς Ἐλπινίκης,* in altera, qua Delphis Ilii persidem adumbraverat, haec memorat Pausanias X 26, 5 ss.: *γέγραπται δὲ βωμός τε καὶ ὑπὸ δείματος παῖς μικρὸς ἐχόμενος τοῦ βωμοῦ· κεῖται δὲ καὶ θώραξ ἐπὶ τῷ βωμῷ χαλκοῦς .... τοῦ βωμοῦ δὲ ἐπέκεινα Λαοδίκην ἔγραψεν ἑστῶσαν.* Haec descriptio bene conspirat cum Apollodoro. Cur enim Laodice arae adstat, nisi ut aeque atque ille puer deorum auxilium imploret? Itaque cum summum hunc pictorem prae ceteris fontes epicos exhausisse verisimile sit, equidem suspicor ex **A r c t i n i** carmine Polygnotum et Apollodorum Laodicen captivam sibi adsumpsisse. Hac coniectura etiam facile explicatur,

1) conf. Paus. X 26, 7.

2) conf. Quint. XIII 544 ss.

3) Cogitaveris de Acamante (v. Arctin. fr. 3), quem Laodices amore incensum esse Munitumque ex ea procreasse poetae Alexandrini finxerunt (schol. et Tzetz. in Lycophr. v. 495).

4) Sic Amphiaraus *σὺν τῷ ἅρματι καὶ τῷ ἡνιόχῳ Βάτωνι ... ἐκρύφθη* (Apollod. III 6. 8, 4), sic Althaemenes *εὐξάμενος ὑπὸ χάσματος ἐκρύβη* (ib. 2. 2, 3), sic Hemithea, Tennae soror, cuius condicio Laodicae simillima erat, *διωκομένη ὑπ' αὐτοῦ* (scil. *Ἀχιλλέως*) *φεύγουσα τὴν μῖξιν, εἰς γῆν κατεπόθη* (Tzetz. ad Lycophr. v. 232).

quod Pausanias apud nullum scriptorem se Laodicen inter captivas relatam repperisse affirmat; nam praeter Homerum citat Cypria Leschen Stesichorum, sive ex Lysimacho haec omnia exscripsit, quae est Roberti sententia, sive ex carminum epitomis; Arctini autem mentionem frustra apud eum requisiveris, quoniam huius carminis laus tunc temporum ex hominum memoria iam paene exstincta erat.

Quintus Smyrnaeus (XIII 544), quem secuti sunt Triph. 660[1]) et Tzetz. Posthom. 736, miram hanc Laodicae mortem in ipso urbis excidio factam esse refert. Alexandrinorum demum aetate eius interitus cum Muniti filii morte coniunctus est, de quo vide Euphorionem (Meineke, Anal. Alex. p. 98) et Hegesippum apud Parthen. 16. Hanc versionem etiam Lycophro (v. 497 ss.), postquam Laodicen urbe capta in Trois avi luco, quo confugerat, terrae hiatu haustam esse paulo ante (v. 316 ss.) obscure indicavit, male sedulo addit, quapropter a Tzetze acerbissime vituperatur.

5. Denique post praedae partitionem tristi munere Achivis fungendum erat, ut de A i a c i s nefasto scelere iudices sederent, ne irati numinis indignatio reditus spem sibi abriperet. Atque in Callimachi fr. 13[d], quem et in delicto Aiacis et in eius interitu describendo auctor bibliothecae imitatus est[2]), iudicium de Aiace habitum omnino non commemoratur. Contra Procli verba: *ἐφ᾽ ᾧ παροξυνθέντες οἱ Ἕλληνες καταλεῦσαι βουλεύονται τὸν Αἴαντα· ὁ δὲ ἐπὶ τὸν τῆς Ἀθηνᾶς βωμὸν καταφεύγει καὶ διασώζεται ἐκ τοῦ ἐπικειμένου κινδύνου*[3]), tam bene cum Apollodoro congruunt, ut de eius fonte nulla relinquatur dubitatio.

Sed hoc epitomae Proclianae loco non tam ipsa verba, quam totus rerum conexus summas difficultates parant. Nam

1) qui haec addit: *οὐδέ σε Θησείδης Ἀκάμας οὐδ᾽ ἄλλος Ἀχαιῶν ἤγαγε ληιδίην* (conf. p. 248 adn. 3).

2) v. § 21, 5 et § 24, 1.

3) In Polygnoti pictura Delphica Aiax iure iurando culpam suam diluit, Paus. X 26, 3: *Αἴας δὲ Ὀϊλέως ἔχων ἀσπίδα βωμῷ προσέστηκεν ὀμνύμενος ὑπὲρ τοῦ ἐς Κασσάνδραν τολμήματος· ἡ δὲ κάθηταί τε ἡ Κασσάνδρα χαμαὶ καὶ τὸ ἄγαλμα ἔχει τῆς Ἀθηνᾶς.*

delati sumus in cardinem quaestionum de famoso illo cycli epici fragmento motarum, quas praeterire nolo, quoniam haud scio an in hanc quoque palaestram novis quibusdam armis exornati descendere possimus. — Ac primum quidem omnem dubitationem de fragmento cum Arctini epitoma coniungendo recte a Wissowa (Herm. XIX p. 197 ss.) sublatam esse, ego quoque diligenter examinatis codicis Veneti primis foliis mihi persuasi. Itaque corruptelae emendatio ab ipsis Procli verbis petenda est, quae in codicis Veneti A fol. 6^v fin. et 4^r init. sic se excipiunt:

Κασσάνδραν δὲ Αἴας ὁ Ἰλέως πρὸς βίαν ἀποσπῶν συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον· ἐφ᾽ ᾧ παροξυνθέντες οἱ Ἕλληνες καταλεῦσαι βουλεύονται τὸν Αἴαντα, ὁ δὲ ἐπὶ τὸν τῆς Ἀθηνᾶς βωμὸν καταφεύγει καὶ διασώζεται ἐκ τοῦ ἐπικειμένου κινδύνου. ἔπειτα ἀποπλέουσιν οἱ Ἕλληνες καὶ φθορὰν αὐτοῖς ἡ Ἀθηνᾶ κατὰ τὸ πέλαγος μηχανᾶται. ‖ καὶ Ὀδυσσέως Ἀστυάνακτα ἀνελόντος Νεοπτόλεμος Ἀνδρομάχην γέρας λαμβάνει, καὶ τὰ λοιπὰ λάφυρα διανέμονται· Δημοφῶν δὲ καὶ Ἀκάμας Αἴθραν εὑρόντες ἄγουσι μεθ᾽ ἑαυτῶν. ἔπειτα ἐμπρήσαντες τὴν πόλιν Πολυξένην σφαγιάζουσιν ἐπὶ τὸν τοῦ Ἀχιλλέως τάφον.

Iam Wissowa, ut reliquorum conamina saepius exposita[1]) omittamus, coniecturam Hilleri amplectitur, qui verba *ἔπειτα — μηχανᾶται* rerum conexum pessime interrumpentia interpolamentum esse iudicat a lectore in fine huius epitomae adscriptum, ʻeines Lesers, (verba sunt Wissowae p. 209) der meinte, nach Beendigung des Zerstoerungswerkes muessten die Griechen doch auch abgereist seinʼ. Haec profecto simplicissima huius loci purgandi via esse videtur, quae mihi quoque arrideret, si re vera nihil aliud hoc enuntiato expressum esset, quam Graecos a Troiano litore naves solvisse. Sed additum est perniciem Graecis profectis in mari[2]) a Minerva paratam esse,

1) Confer Jahn-Michaelis, Griech. Bilderchron. p. 95 ss., Schreiber, Herm. X 305 ss., Michaelis, Herm. XIV p. 489 ss.

2) Interpolator ille haud dubie non scripsisset *κατὰ τὸ πέλαγος*, nam Graecos in mari a Pallade irata oppressos esse nusquam in codicis

propterea nimirum, quod Aiacem iusta sceleris poena liberaverant. Sic hoc interpolamentum quod vocatur tam bene cum antecedentibus verbis conspirat, ut non modo non superfluum sit, sed etiam a iudicio de Aiace habito segregari omnino nequeat. In hoc igitur viros doctos erravisse censeo, quod, intenti in solam quae videbatur offensionis sedem, verba ἔπειτα — μηχανᾶται, sive eiciendo sive in finem transponendo (Tychsen, Lehrs), ab eis, quibuscum artissime cohaerent, violenter diremerunt. Ergo si qua transpositione huic loco medelam afferendam esse censemus — ac profecto verba illa, ubi tradita sunt, ferri nullo modo possunt — simul cum verbis suspectis totum Achivorum iudicium in censuram venit.

Atque etiam aliunde firmare licet, quod contendo, verba ἐφ᾽ ᾧ παροξυνθέντες — μηχανᾶται falso loco in Procli epitomam irrepsisse. Nam si ab exilibus Procli excerptis ad ipsum Arctini carmen progredientes eius imaginem animo nobis effingere conamur, sic in Ilii perside singula se excipiebant, ut Achivi statim vel paulo post Aiacis scelus iudicium de eo haberent atque tum demum ad praedae partitionem pergerent. Hic autem rerum ordo adhuc ab omnibus acceptus mihi quidem quam maxime improbabilis esse videtur. An tu putas Graecos de hostibus pertinacissimis triumphantes post noctem illam gloriosissimam, qua innumerabilium laborum finem operaeque decennis pretium tandem adsecuti erant, nihil antiquius habuisse, quam ut statim unum ex summis ducibus, tot pugnarum socium tantaeque gloriae participem, capitis accusarent? Hoc in brevi fabularum adumbratione minus offendit, in accuratiorem uberioremque poetae epici narrationem admitti nequit. Immo vero post urbis expugnationem primum gaudio tantae expeditionis feliciter ad finem perductae totos se dederunt praedamque ingentem inter se distribuerunt, deinde autem, cum iam in patriam profecturi essent, metus eis iniectus est, nonne nefarium illud Aiacis facinus nondum expiatum deae iram toti exercitui contrahere posset; itaque inviti iudi-

---

Veneti excerptis commemoratur, sed κατὰ τὸν ἔκπλουν, quod facillime ex sequenti Nostorum initio elicere potuit.

cium faciunt, libenterque reum, ad eius ipsius numinis aram, cuius maiestatem tam graviter laeserat, confugientem absolvunt. Atque huius iudicii summa non in Aiacis absolutione posita est, sed in eo, quod reo liberato omnes Achivi eius criminis participes atque sic periculorum, errorum, exitii quo multi in reditu perierunt, ipsi auctores facti sunt. Suspicor igitur post Achivorum iudicium Minervam, dum illi proficiscerentur, in deorum fortasse concilio nuntiasse, quantum exitium redeuntibus paratura esset[1]), atque ut se adiuvarent ab Iove et Neptuno petiisse (conf. Eurip. Troad. prolog.). Habes Ilii persidis exitum tamquam ab ipso fabularum conexu oblatum, quo aptiorem nemo excogitare poterat, quoniam poetae occasionem praebebat proficiscentis classis fata futura in fine carminis breviter indicandi.

Quid autem de Procli textu statuendum est? Hic profecto (sive ipse fuit, sive eius epitomator) Aiacis sceleri statim iudicium ab Achivis de hoc facinore postea institutum adnectere maluit, quod in brevi epitoma sine ulla difficultate effici poterat. Nihil aliud igitur sibi sumpsit, quam quod saepius in Apollodori bibliotheca eiusque excerptis observavimus, nimirum ut more mythographorum rerum conexum magis respiceret, quam temporum rationem. Neque quemquam confido miraturum esse, quod verbis: *ἐφ ᾧ παροξυνθέντες — μηχανᾶται* in finem epitomae conversis pristinum textus statum restituere nunc quidem non contingit. Nam in contraria transpositione a Proclo quondam adhibita levis verborum mutatio inevitabilis erat; quae enim prima verba post Polyxenae mortem (*Πολυξένην σφαγιάζουσιν ἐπὶ τὸν τοῦ Ἀχιλλέως τάφον*) sic fortasse legebantur: *καὶ ἐπὶ τῷ Αἴαντος ἀδικήματι παροξυνθέντες* ..., ea brevius proferenda erant, si ipsi sceleris memoriae subiungebantur: *ἐφ᾽ ᾧ παροξυνθέντες* ... Et quod Wissowa (p. 209) monet verbis *ἔπειτα ἀποπλέουσι — μηχανᾶται*, ubicumque legantur, *τὴν ἀκολουθίαν τῶν πραγμάτων* turbari, equidem non nego: sed haec continua rerum enarratio ex plenis

1) Od. ε 108: *ἀτὰρ ἐν νόστῳ Ἀθηναίην ἀλίτοντο*
ἥ σφιν ἐπῶρσ᾽ ἄνεμόν τε κακὸν καὶ κύματα μακρά.

singulorum carminum epitomis fortasse ab ipsis demum scholiastis Homericis confecta est[1]); itaque hoc vestigium integrae narrationis, quod ad illam continuitatem sero inculcatam minus quadrabat, facile retineri poterat, sive mera scholiographi incuria, sive noluit ille praetermittere, quae incommoda Graecis ex hoc iudicio evenissent, atque nota compilatorum socordia integram enuntiati formam ex fonte suo minus apte recepit[2]).

Iam si tenemus Achivorum iudicium ab Arctino in fine Ilii persidis enarratum esse, egregie nostram coniecturam confirmari videmus Apollodori bibliotheca, cuius auctor ab Aiacis absolutione statim ad reditum singulorum ducum perrexerit. Atque ut singulis fabulis pertractatis ad universum rerum conexum perlustrandum perveniamus, in hoc quoque haud spernendam consensionem inter Apollodorum et Arctini epitomam observamus. Atque Polyxenae quidem sacrificationem, quae in Ilii perside iudicium illud apte antecedebat — nam hae duae condiciones a Graecis explendae erant, priusquam proficiscerentur — mythographum nostrum cum Astyanactis nece coniunxisse vidimus. Idem etiam Troiae incendium cum ipsa expugnatione simpliciter conectere maluit[3]), cum apud Arctinum, similiter atque in Euripidis Troadibus, sollemni regum mandato imperatum esse videatur, ut quidquid superesset nefastae urbis, flammis deleretur. Ceterum autem

1) Nam minus probabile videtur hanc operam iam a Proclo susceptam esse; hic enim carminum genera, auctores, argumenta explicans chrestomathiae suae consilium ipse neglexisset, si ex diversorum carminum epitomis unam atque continuam fabularum seriem composuisset. (Nota iam Photium, cuius verba *καὶ περαιοῦται ὁ ἐπικὸς κύκλος ἐκ διαφόρων ποιητῶν συμπληρούμενος* huic sententiae minus favere concedo, non ipsum Procli opus manibus tenuisse, sed *ἐκ τῆς Πρόκλου χρηστομαθίας γραμματικῆς ἐκλογάς*.)

2) Quanto opere huius loci difficultas non in rebus, sed solis in verbis inhaereat, inde cognoscis, quod nulla ansa offensioni relinqueretur, si Proclus scripsisset: *ἔπειτα ἀποπλέουσι τοῖς Ἕλλησι φθορὰν ἡ Ἀθηνᾶ κατὰ τὸ πέλαγος μηχανᾶται.* Fortasse re vera haec genuina enuntiati forma erat (confer, quae de carminis fine modo exposuimus).

3) XXI 21: *κτείναντες δὲ τοὺς Τρῶας τὴν πόλιν ἐνέπρησαν καὶ τὰ λάφυρα ἐμερίσαντο.*

rerum ordinem ab Arctino institutum Apollodorum ita secutum esse animadverto, ut inter singulas eius fabulas, quae aliunde sibi adsumpserat, interponeret[1]). Quod ex sequenti tabula dilucide apparebit:

Arct.:		Apollod.:	
	Priami mors.		Priami mors.
	—		Glaucus.
	—		Aeneas.
	Helena.		Helena.
	—		Aethra.
	Aiacis scelus.		Aiacis scelus.
			incendium urbis.
	Astyanactis mors.		Astyanactis mors.
			Polyxenae mors.
	praedae partitio.		praedae partitio.
	incendium urbis.		
	Polyxenae mors.		
	Achivorum iudicium (?).		Achivorum iudicium.

Cap. VI.

NOSTI.

§ 23.

DIOMEDES. NESTOR. MENELAUS.

(cap. XXI 24.)

Procl. ep. ex Hagiae Nostis[2]): *Ἀθηνᾶ Ἀγαμέμνονα καὶ Μενέλαον εἰς ἔριν καθίστησι περὶ τοῦ ἔκπλου. Ἀγαμέμνων μὲν οὖν τὸν τῆς Ἀθηνᾶς ἐξιλασόμενος χόλον ἐπιμένει, Διομήδης δὲ καὶ Νέστωρ ἀναχθέντες εἰς τὴν οἰκείαν διασῴζονται· μεθ' οὓς ἐκπλεύσας ὁ Μενέλαος μετὰ πέντε*

1) Idem consilium etiam in nostis referendis eum sibi proposuisse in aprico est (conf. p. 256, 260, 270, 278, 293).

2) De Nostis confer Stiehlii commentationes: Die kyklischen Nosten Philol. VIII p. 49—77, Zu den Nosten ib. X p. 151—168.

νεῶν εἰς Αἴγυπτον παραγίνεται, τῶν λοιπῶν διαφθαρεισῶν ἐν τῷ πελάγει. Huius argumenti vestigia ubique apud Apollodorum deprehendimus. Nam etiam discidium illud inter Atridas ortum non tam Apollodorus, quam epitomae nostrae auctor praetermisit; quod ni recepisset, aegre desideraremus causam singulis nostis praemittendam, cur non, quod consentaneum erat, ad unum omnes eodem tempore profecti essent. Atque ne de Nestore et Diomede quidem excerptor integrum bibliothecae textum nobis servavit, quippe qui solam eorum profectionem memorans de reditu feliciter perpetrato taceat. Atque haec quoque lacuna apte suppletur, si ex Procli verbis Apollodoro reponimus: *οἱ μὲν ἀποπλέουσι ⟨καὶ εἰς τὴν οἰκείαν διασώζονται⟩, ὁ δὲ Μενέλαος . . .,* nisi forte epitomator suo Marte *ἀποπλοοῦσιν* inseruit.

Sic unde Apollodorus relationem suam hauserit, certo constat; sed huius ipsius fontis auctoritatem atque fidem Robertus[1]) gravissime labefactare studuit, qui progressus ab aperta interpolatione Homerica, quam in Paridis reditum in patriam Proclus admisit[2]), etiam Nostorum initium non ex carmine epici cycli translatum, sed deleto genuino argumenti textu ex Nestoris sermonibus *γ* 132—183 et 254—312 a grammatico quodam, ut consensum cum Homeri versione restitueret, consutum esse contenderit. Attamen vereor, ne paulo audacius processerit vir doctissimus. Nam primum non dubitaverim, quin ipse Nostorum auctor lineas ab Homero praeformatas in summa rerum secutus sit[3]), praesertim cum aliam quandam versionem quondam exstitisse ne minimo quidem testimonio firmetur. Singulorum autem vocabulorum consensus cum versibus Homericis, quem Robertus notavit, non is est, ut inde certi quid statui queat. Deinde supra alias Apollodori vel potius cycli epici epitomae narrationes examinavimus, quas, etiamsi cum versionibus Homericis omni fere ex parte consentirent, tamen

1) Bild und Lied, excurs. VI p. 245 ss.

2) ep. XI 3, conf. Cur. myth. § 12, 3.

3) *καὶ οἱ ποιηταὶ δὲ οἱ τοὺς Νόστους ὑμνήσαντες ἕπονται τῷ Ὁμήρῳ, ἐς ὅσον εἰσὶν δυνατοί,* Suid. s. v. *Νόστος* (v. Immisch. in Fleckeis. ann. suppl. vol. XVII p. 169).

non ab illis, sed a carminum perditorum argumentis petitas esse nobis persuaseramus[1]). Itaque cavendum nobis videtur, ne solum fundamentum, quo inniti possimus, ipsi nobis temere subtrahamus, nisi certissimis causis coacti.

Ceterum Procli epitoma omnino non prorsus congruit cum fusiore Homeri narratione. Apud illum enim post Nestorem Menelaus proficiscitur[2]) neque concludere licet ex Procli verbis aliquam reditus partem eis communem fuisse; apud Homerum una eos naves solvisse Nestor diserte testatur v. 276:

ἡμεῖς μὲν γὰρ ἅμα πλέομεν Τροίηθεν ἰόντες
Ἀτρείδης καὶ ἐγώ, φίλα εἰδότες ἀλλήλοισιν,

Tenedi autem, Nestore et Diomede proficiscentibus, Menelaus paulum moratus est atque *ὀψέ* (i. e. eiusdem diei vespere v. 168) eos secutus Lesbi nactus est, unde usque ad Sunium promunturium coniuncti eundem cursum tenuerunt. Itaque si quis Homerum religiose imitatus est, non Proclus is fuit, sed Apollodorus: *ἀναχθέντες δὲ Διομήδης Νέστωρ καὶ Μενέλαος ἅμα.*

§ 24.

CALCHAS.

(cap. XXI 25—27.)

Etiam apud Proclum post Menelai errores sequitur Calchantis sepultura: *οἱ περὶ Κάλχαντα καὶ Λεοντέα καὶ Πολυποίτην πεζῇ πορευθέντες εἰς Κολοφῶνα Κάλχαντα ἐνταῦθα τελευτήσαντα θάπτουσι*; nam *Κάλχαντα* pro tradita voce *Τειρεσίαν* cum Meinekio[3]) reponendum esse, si quis adhuc dubitaverit, nunc certum est[4]). Hanc igitur epitomam Apollo-

1) Confer de prodigio Aulidensi § 14, 1, et de Anticlo § 20, 3.

2) *μεθ' οὓς ἐκπλεύσας ὁ Μενέλεως* e. q. s.

3) Usus erat hic (Anal. Alex. p. 79) schol. Tzetz. in Lycophr. 427, quod ex Apollodoro haustum esse Wilamowitzius rectissime cognoverat (Hom. Untersuch. p. 179).

4) Fortasse in ampliore epitoma, ut in bibliotheca, Tiresiae, Mantus patris, mentio adiecta erat, unde in falsum locum eius nomen irrepsit. Idem suspicatus est Immischius meus, qui nuper sagacissime in huius

dorus usque ad verba *θάπτουσι Κάλχαντα τὸν μάντιν* aperte exscripsit. Quae autem uberius exposuit inde a verbis *ἦν γὰρ λόγιον αὐτῷ* usque ad *Κάλχας ἀθυμήσας τελευτᾷ*, aliunde inseruit. Quod ni ita se haberet, iure miraremur, quod totius rei finem, sepulturam Calchantis, huic narrationi praemisit.

Ad indagandum hunc fontem Strabonem evolvamus, qui satis largam fabularum varietatem de Calchantis morte nostrae memoriae servavit XIV p. 642 s.: *λέγεται δὲ Κάλχας ὁ μάντις μετ' Ἀμφιλόχου τοῦ Ἀμφιαράου κατὰ τὴν ἐκ Τροίας ἐπάνοδον πεζῇ δεῦρο ἀφικέσθαι, περιτυχὼν δ' ἑαυτοῦ κρείττονι μάντει κατὰ τὴν Κλάρον Μόψῳ τῷ Μαντοῦς τῆς Τειρεσίου θυγατρός, διὰ λύπην ἀποθανεῖν. Ἡσίοδος* [Melampod. fr. 177 K.] *μὲν οὖν οὕτω πως διασκευάζει τὸν μῦθον· προτεῖναι γάρ τι τοιοῦτο τῷ Μόψῳ τὸν Κάλχαντα·*

θαῦμά μ' ἔχει κατὰ θυμόν, ὅσους ἐρινειὸς[1]) *ὀλύνθους*
οὗτος ἔχει μικρός περ ἐών· εἴποις ἂν ἀριθμόν;

τὸν δ' ἀποκρίνασθαι·

μύριοί εἰσιν ἀριθμόν, ἀτὰρ μέτρον γε μέδιμνος·
εἷς δὲ περισσεύει, τὸν ἐπενθέμεν[2]) *οὔ κε δύναιο.*
ὣς φάτο καί σφιν ἀριθμὸς ἐτήτυμος εἴδετο μέτρου.
καὶ τότε δὴ Κάλχαντα τέλος[3]) *θανάτοιο κάλυψε.*

Φερεκύδης [fr. 95] *δέ φησιν ὗν προβαλεῖν ἔγκυον τὸν Κάλχαντα, πόσους ἔχει χοίρους, τὸν δὲ εἰπεῖν, ὅτι τρεῖς, ὧν ἕνα θῆλυν· ἀληθεύσαντος δ' ἀποθανεῖν ὑπὸ λύπης. οἱ δὲ τὸν μὲν Κάλχαντα προβαλεῖν τὴν ὗν φασι, τὸν δὲ ἐρινεόν, καὶ τὸν μὲν εἰπεῖν τἀληθές, τὸν δὲ μή, ἀποθανεῖν δὲ ὑπὸ λύπης καὶ κατά τι λόγιον. λέγει δὲ αὐτὸ Σοφοκλῆς ἐν Ἑλένης ἀπαιτήσει* [fr. 181] *ὡς εἱμαρμένον εἴη ἀποθανεῖν, ὅταν κρείττονι ἑαυτοῦ μάντει περιτύχῃ· οὗτος δὲ καὶ εἰς Κιλικίαν μεταφέρει τὴν ἔριν καὶ τὸν θάνατον τοῦ Κάλχαντος* (conf. etiam p. 675).

Quae si obiter cum excerptis Vaticanis comparas, Apollodorus hac vel simili fabularum congerie adhibita alios ab aliis

---

fabulae originem inquisivit (Klaros, in Fleckeis. ann. suppl. vol. XVII p. 160 ss.).

1) em. Tzschuckius: *ἐρινεὸς ὅσους* codd.

2) em. Spohnius: *ἐπελθέμεν* codd.

3) em. Nauckius (v. Immisch, p. 161 adn.): *Κάλχανθ' ὕπνος* codd.

pannos mutuatus (ficos ab Hesiodo, suem a Pherecyde, oraculum a Sophocle) quacumque ratione continuam narrationem satis neglegenter consuisse videtur. — Sed primum in bibliotheca inveniuntur, quae apud Strabonem aut desiderentur, aut aliter referantur. Sic deest Mopsi interrogatio de porcellorum die natali, eiusdem autem responsum de eorum numero longe differt a Pherecydis testimonio, denique de singularum interrogationum auctoribus contraria[1]) legimus eis, quae ex incerto auctore (*οἱ δὲ*) Strabo protulit. Deinde in versibus Hesiodeis aegre desidero alteram certaminis partem[2]). Nam nondum iusto Mopsi responso Calchas vatis optimi gloria spoliatur mortemque occumbit, sed eo demum, quod ipse quaestionem ab adversario propositam solvere non potuit. Strabo igitur hanc partem fabulae Hesiodeae omisit atque Mopsi responso statim ultimum totius narrationis versum subiunxit. Atqui Apollodorus quam studiose Hesiodi versus apud Strabonem exstantes expresserit, inde potissimum elucet, quod perversissima numeri relatio: *μυρίους καὶ μέδιμνον καὶ ἕνα ὄλυνθον περισσόν*, ex qua, ni superesset Hesiodi testimonium, verba *καὶ μέδιμνον* eicere non dubitaremus, ipsis his versibus inscite in brevius contractis apte explicatur. Ergo, cum reliquam Apollodori narrationem cum nulla ex servatis fabulae formis congruere perspexerimus, veri simillimum mihi videtur Apollodorum non media in continuitate historiae ad alium auctorem transcurrisse, sed in toto certamine Melampodiae poetam imitatum esse, cuius eos quoque versus, quos Strabo laudare supersedit, manibus tenuerit[3]).

Nam etiam oraculum de Calchantis obitu cur Hesiodi q. f. carmini vaticiniis divinationibus auguriis abundanti cum Im-

1) Hac de re convenit inter Apollodorum et Lycophronem v. 424 ss.

2) Gaudeo hac de re idem sentire Immischium l. l. p. 161.

3) Apollodorus in mirificis vatum fatis copiose enarrandis libenter morans (quod cum inanibus superstitionibus alterius p. Chr. n. saeculi optime concinit) compluribus locis Melampodiae vestigia legit. Sic de Proeti filiabus, quas Melampus sanaverat, Hesiodum testem affert (II 2. 2. fr. 184 K.); sic in Tiresiae arbitrio de Iovis Iunonisque controversia adiecto auctoris nomine Melampodiae relationem tam diligenter expressit, ut lector quidam ipsos versus margini adscripserit (III 6. 7, 4. fr. 179 K.).

mischio (p. 161 s.) abiudicemus, non intellego. Quod enim apud Strabonem legimus *διὰ λύπης* Calchantem mortuum esse, Pherecydis erat versio, non Hesiodi[1]), a cuius narratione hoc caute seiunctum est. Apollodori autem verba: *ὧν γενομένων Κάλχας ἀθυμήσας*[2]) *τελευτᾷ* cum praemisso oraculo apte consociari posse nemo negabit. Accedit quod sollemnis forma versus Hesiodei:

καὶ τότε δὴ Κάλχαντα τέλος θανάτοιο κάλυψε

vaticinii quondam Calchanti editi eventum quodammodo indicare mihi videtur. Cur autem ex Sophocle hoc oraculum Strabo attulerit, haud difficile est ad perspiciendum. Nam eius in fabula quae erat *Ἑλένης ἀπαίτησις* ipsa Calchantis mors enarrari non poterat, sed a Troiano vate (de Heleno cogitavit Welckerus, Trag. I p. 123) Calchanti urbis excidium futurum nuntianti, ut eius fidei obtrectaret, clades inhonesta ac mors miserabilis praedicta est. Quamobrem Strabo hunc testem de oraculo excitare maluit quam Hesiodum, qui hoc in media tantum narratione tetigerat.

Calchanti comites addidit Apollodorus praeter Leonteum et Polypoetem, quos solos nominavit Proclus, Amphilochum et Podalirium; ex quibus Amphilochum (etiam a Quinto XIV 366 memoratum) Hesiodo tribuere non dubito, quoniam eum Solis ab Apolline necatum esse alio Hesiodi fragmento (186 K.) constat; Podalirius autem, quo nomine interposito Leonteus et Polypoetes, Lapitharum duces[3]), incommode dirimuntur, num eidem fonti debeatur, certo diiudicari nequit. Hoc autem constat, in fine apud Apollodorum non minus quam in Procli epitoma desiderari adnotatiunculam de horum reditu; quae lacuna apte suppletur a Tzetze in Lycophr. v. 980: *Πολυποίτης δὲ καὶ Λεοντεὺς μετὰ τὸ θάψαι αὐτὸν* [vel *θάψαντες*

---

1) si qua omnino statuenda est differentia: nonne enim eo ipso, quod Calchas victus in certamine mortifero dolore afflictabatur, dei vaticinatio evenit (*ἀποθανεῖν δὲ ὑπὸ λύπης καὶ κατά τι λόγιον* Strab.)?

2) Cave addas ex Tzetz. in Lycophr. v. 427: *καὶ τὸν χρησμὸν συνιείς*; haec enim verba ex schol. vet. in h. v. male irrepserunt.

3) De his confer Hom. *B* 739 ss. *M* 182 ss. *Ψ* 841 ss.

αὐτὸν coll. adn. in v. 1047] *μετ' ὀλίγον εἰς Ἑλλάδα ἀνεχώρησαν* [vel *διεσώθησαν*][1]).

§ 25.

AIACIS INTERITUS. NAUPLIUS.

(cap. XXII 1—6.)

Procl.: *τῶν δὲ περὶ τὸν Ἀγαμέμνονα ἀποπλεόντων Ἀχιλλέως εἴδωλον ἐπιφανὲν πειρᾶται διακωλύειν προλέγον τὰ συμβησόμενα. εἶθ' ὁ περὶ τὰς Καφηρίδας πέτρας δηλοῦται χειμὼν καὶ ἡ Αἴαντος φθορὰ τοῦ Λοκροῦ.* Bipartita ab initio Nostorum narratione Hagias — *εἰ τόδ' αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ* — iam ad alteram exercitus partem pervenit, quae cum Agamemnone aliquamdiu in Troade morata erat. Idem in bibliotheca suo loco memoratum esse probabiliter conicitur, demonstrari nequit, quia, ut ante XXI 24 *ἀναχθέντες δὲ Διομήδης* ... oratio hiat, sic capitis XXII quoque initium: *ὅτι Ἀθηνᾶ ἐπὶ τὴν Αἴαντος ναῦν κεραυνὸν βάλλει* abruptum est. Nam apparet Apollodorum, etiamsi saepius in singulis fabulis alios fontes excitaverit, novaque multa inseruerit, tamen ad rerum ordinem a Nostorum poeta institutum diligenter se applicavisse.

1. Atque, ut primum Aiacis interitum absolvamus, manifestus est conexus narrationis nostrae cum media parte schol. Hom. *N* 66, cuius priorem in Aiacis scelere ab Apollodoro adhibitam esse videramus[2]): *ὥστε τὴν θεὸν τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ ξοάνου εἰς τὴν ὀροφὴν τρέψαι, τοῖς δὲ Ἕλλησιν ὑποστρέφουσι καὶ κατὰ τὴν Εὔβοιαν γενομένοις χειμῶνας διεγεῖραι μεγάλους, ὥστε πολλοὺς αὐτῶν διαφθαρῆναι. διανηξάμενος δὲ Αἴας εἰς τὰς Γυράδας καλουμένας πέτρας ἔλεγε χωρὶς θεῶν γνώμης διασεσῶσθαι· Ποσειδῶν δὲ ἀγανακτήσας*

1) Tzetzes in v. 1047: *θάψαντες δὲ ἐκεῖ τὸν Κάλχαντα ... Πολυποίτης καὶ Λεοντεὺς μετ' ὀλίγον εἰς Ἑλλάδα διεσώθησαν* (*ἀνεχώρησαν* Vit. 3). Praeterea autem a farragine scholiorum, quae Tzetzes tribus locis (in Lycophr. v. 427, 980, 1047) ex Apollodoro III 7. 7, 4, ep. XXI 25—27, XXIII 6, scholiis veteribus Lycophronisque verbis conflavit, nulla textus nostri supplementa lucramur.

2) conf. ep. c. XXI 20, Cur. myth. § 21, 5.

διέσχισε τὴν πέτραν καὶ τὸν Αἴαντα τῷ κλυδῶνι παρέδωκεν. ἐκριφέντα δὲ αὐτὸν κατὰ Δῆλον νεκρὸν Θέτις ἐλεήσασα θάπτει. . . . . ἡ ἱστορία παρὰ Καλλιμάχῳ [fr. 13[d]] *ἐν α΄ Αἰτίων καὶ παρὰ τῷ ποιητῇ ἐν τῇ δ΄ τῆς Ὀδυσσείας παχυμερῶς.* Homeri mentionem scholiographus addidit, quia Aiacis interitus eadem ratione describitur δ 499 ss. Quem locum etiam Callimachus imitatus esse videtur, nam et quae antecedunt de statuae oculis ad caelum allevatis, et quae sequuntur de Aiacis sepultura, proprie Callimachea sunt.

Utrumque Apollodorus aperte exscripsit, nam, quae primo adspectu offendit discrepantia de loco sepulturae, nulla est. Verba enim *κατὰ Δῆλον* solum ad *ἐκριφέντα* spectant, ipsum autem sepulcrum etiam apud Callimachum haud dubie Myconi erat, quippe qui haud ignoraverit notissimam legem, qua ab Atheniensibus interdictum erat, ne sacra insula mortuorum sepulcris profanaretur (Thuc. III 104). Eandem versionem invenimus apud Lycophronem v. 401 s.:

τύμβος δὲ γείτων ὄρτυγος πτερουμένης
τρέμων φυλάξει ῥόχθον Αἰγαίας ἁλός,

quod recte intellexit schol. Marc.: *γείτων δὲ τῆς Δήλου ἐστὶν ἡ Μύκων, ἔνθα ὁ Αἴας τέθαπται,* perperam autem interpretatus est Tzetzes (quem non debuit sequi Fleischerus, Rosch. Lex. myth. I p. 137) *ἐν τῷ Τρέμοντι γὰρ χωρίῳ τῆς Δήλου Αἴας ὁ Λοκρὸς κεῖται πλησίον Τήνου καὶ Μύκονος.* Myconi memoria etiam occurrit in titulo epigrammatis Aristotelis q. f. pepl. 16: *ἐπὶ Αἴαντος τοῦ Ὀϊλέως, κειμένου ἐν Μυκόνῳ τῇ νήσῳ.*

Sed unam difficultatem in locorum situ positam et Callimachus et Apollodorus, hanc traditionem localem in fabularum cyclum recipientes, minus respexerunt. Nam cum Aiacis interitus cum ingenti tempestate, qua tota Graecorum classis prope Caphareum promunturium afflicta est, arte cohaereret, rupes Gyraeae intellegendae erant haud procul ab hoc Euboeae litore sitae, ut Quintus XIV 570 ss. perspicue declarat. Quarum loco auctores nostri, etiamsi retinerent procellam Caphaream[1]), 'eas

1) De Apollodoro constat, num autem Callimacho tantam rerum geographicarum inscitiam tribuamus, vehementer dubito.

potius substituerunt, quae Teni in insulae parte meridionali in conspectu Myconi positae erant[1]). Quamquam enim ex mutilato cap. XXII initio non evadit, qua occasione Minerva Aiacis navem fulmine percusserit[2]), tamen inde, quod postea Graeci Nauplii faces sequuntur, *νομίσαντες εἶναί τινας τῶν σεσωσμένων*, concludo non Aiacem solum interisse, ut in singulari Philostrati (Heroic. p. 707) versione, sed, ut in Nostorum epitoma scholioque Homerico, antecessisse calamitatis Caphareae descriptionem. Graecorum igitur navibus terribili tempestatis vi dispersis, postquam Aiax fluctibus abactus iustas sceleris sui poenas solvit, ii, qui undarum impetum effugerant, cum in Nauplii insidias illecti ad Euboeam vellent appellere, quasi Charybdi feliciter vitata in Scyllam inciderunt.

2. Haec breviter adumbravit Hyginus f. CXVI, uberius atque non sine magna gravitate, ut eos egregium aliquod exemplar ante oculos habuisse suspiceris, Seneca (Ag. 465—578) et Quintus (XIV 419—628) depinxerunt. Facile cogitabimus de Sophoclis Teucro (fr. 520, Pacuv. Teuc. fr. 14). Quid autem de Nostis statuamus, pendet ex iudicio nostro de Nauplii persona. Hunc faces funestas ex tragoediis notissimas Achivis redeuntibus accendisse ex Nostis nusquam memoratur, sed non ignotum eum cum Philyra uxore auctori huius carminis fuisse constat Apollodori testimonio (II 1. 5, 14 = fr. 1 K). Itaque, nisi forte Oeacem, Nauplii filium, Oresti adversantem ab Euripide (Or. 432) ex carmine cyclico depromptum esse censes, vix alium locum inveneris, quo Nauplius Nostis apte inseri potuerit, quam tempestatem Caphaream. Neque quominus hoc comprobemus, impedit Homeri[3]) et Aeschyli silentium. Nam cum

1) conf. Bursian, Geogr. v. Griechenl. II p. 445 et 448, et titulos Tenicos *Γυραεύς* CIG 2338^b^, *Γυραΐς* 2338.

2) Palladem ipsam hoc perfecisse satis vetusta est traditio, ut apparet ex Minervae cum Neptuno sermocinantis verbis Eurip. Troad. 80:

> *ἐμοὶ δὲ δώσειν φησὶ* (scil. *Ζεὺς*), *πῦρ κεραύνιον,*
> *βάλλειν Ἀχαιοὺς ναῦς τε πιμπράναι πυρί.*

conf. Sen. Ag. 528 ss., Quint. XIV 419 ss. et 532 (*ἣ δ' Αἴαντι χόλον καὶ πῆμα φέρουσα ἔμβαλε νηὶ κεραυνόν*), Hyg. CXVI: 'in qua tempestate Aiax Locrus fulmine est a Minerva ictus' (conf. etiam p. 252).

3) si omnino, quod dubium mihi videtur, iam ea aetate, qua haec

nullus ex maximis ducibus Nauplii insidiis perisset, non erat, cur in Nestoris Menelaique narrationibus eius mentio fieret, apud Aeschylum autem, ubi ne Aiacis quidem interitus commemoratur, multo minus, quid reliquis post procellam accidisset, scire poterant ii, qui mira quadam fortuna perniciem effugerant[1]), ut ipse praeco significat Ag. 649 ss.:

καὶ νῦν ἐκείνων εἴ τις ἐστὶν ἐμπνέων,
λέγουσιν ἡμᾶς ὡς ὀλωλότας, τί μή;
ἡμεῖς τ᾽ ἐκείνους ταῦτ᾽ ἔχειν δοξάζομεν.

Ergo si cum Welckero (Cycl. ep. II p. 281)[2]) Nauplii ultionem cum Minervae ira coniunctam Nostis adscribimus[3]), nihil repugnat, ne Apollodorum et Quintum cum Nostis congruere iudicemus, praesertim cum, quae de Neoptolemi reditu insequuntur, a Procli epitoma separari nequeant.

Nam absolvitur haec Apollodori narratio verbis: *καὶ πολλοὶ τελευτῶσιν,* atque incipit longa de Nauplii fatis expositio a verbis XXII 3 *ὁ γὰρ αὐτοῦ τοῦ Ναυπλίου* . . . continuata usque ad *ἐν τῷ δοκεῖν λιμένα εἶναι διεφθάρησαν*; quam aliunde illatam esse primo obtutu perspicis, quoniam et initio Palamedis mors supra descripta (XIV), et in fine Achivorum exitium modo explanatum repetitur.

Cum hac autem Apollodori relatione cohaeret posterior pars scholii in Eurip. Or. 432, cuius priorem cum ep. XIV comparavimus § 13, 2. Nam post mortem Palamedis *Ναύπλιος ἀκούσας ἧκεν εἰς Ἴλιον δικάσαι τὸν φόνον τοῦ παιδός. τῶν δὲ Ἑλλήνων κατολιγωρούντων αὐτοῦ πρὸς τὸ κεχαρισμένον τοῖς βασιλεῦσιν, ἀποπλεύσας εἰς τὴν πατρίδα καὶ*

Odysseae pars composita est, Nauplii persona in fabularum cyclum recepta erat.

1) Nota v. 643: *ὡς μήτ᾽ ἐν ὅρμῳ κύματος ζάλην ἔχειν,*
μήτ᾽ ἐξοκεῖλαι πρὸς κραταίλεων χθόνα.

2) Confer etiam Stiehlium, Philol. VIII p. 65.

3) Quamquam bene sentio aliquid in hac coniunctione inesse, quod ab Homericae quidem artis spiritu alienum sit. Nam si Nauplii faces, statim post procellam a Minerva tanto apparatu excitatam accensae, novum exitium eis attulerunt, qui modo deae iracundiam effugerant, tamquam imminui mihi videtur numinis auctoritas, quasi Minervae consilium non suffecerit ad omnes reos perdendos.

πυθόμενος ἀποπλεῖν τοὺς Ἕλληνας ἧκεν εἰς Εὔβοιαν καὶ χειμῶνα φυλάξας φρυκτωρίας ἧψε περὶ τὰς ἄκρας τῆς Εὐβοίας. οἱ δὲ εὐεπίβατον νομίσαντες τὸν τόπον προσορμίζονται καὶ ἐν ταῖς πέτραις ἀπόλλυνται. De conexu huius scholii cum Apollodoro verba facere non iam opus est; de eius fontibus ut libere profitear quid sentiam, tota haec fabularum congeries originis tragicae vestigia dilucidissima prae se ferre mihi videtur. Nam ad tragicos iam ipso Clymenes, Nauplii uxoris, nomine (apud Apollodorum et schol. init.) revocamur: hanc enim, non Philyram aut Hesionen, in matrimonium duxerat, *ὡς οἱ τραγικοὶ λέγουσι* (Apollod. II 1. 5, 14). Tum quae de inventis Palamedis initio scholii memorantur, cum servatis Sophoclis Euripidisque fragmentis[1]) optime conspirant: *ὁ δὲ Παλαμήδης ἀπελθὼν εἰς Τροίαν τὰ μέγιστα ὤνησε τὸν Ἑλληνικὸν λαόν. λιμωσσόντων* [Soph. fr. 438 *ἐκ Παλαμήδους*] *γὰρ ἐν Αὐλίδι καὶ περὶ τὴν διανομὴν τοῦ σίτου δυσχεραινόντων τε καὶ στασιαζόντων πρῶτον μὲν τὰ Φοινίκια διδάξας γράμματα* [Eurip. Palam. fr. 578[2])] *αὐτοὺς ἴσην τε καὶ ἀνεπίληπτον τὴν διανομὴν ἐν τούτοις ἐπραγματεύσατο. ἔπειτα καὶ περὶ κύβους ἔτρεψεν αὐτῶν τὴν ὀλιγωρίαν* [Soph. fr. 438 *ἐκ Παλαμήδους*, fr. 396 *Ναυπλίῳ πυρκαεῖ*], *καὶ μέτρα ἐξεῦρε* [Soph. fr. 399, Nauplii verba] *καὶ ψῆφον, ὥστε μέγα σχεῖν ὄνομα παρὰ τοῖς Ἕλλησιν.* Denique in describendis insidiis, quas adversarii Palamedi struxerant, aut Sophoclem aut Euripidem Apollodori et scholiographi auctorem fuisse supra (p. 179 s.) demonstrare conati sumus.

Perlustrantes autem tragicorum scrinia, ut fontem scholii nostri indagemus, quasi per se nobis offertur Sophoclis fabula, qua Achivorum exitium tractatum esse ipse titulus indicat: *Ναύπλιος ὁ πυρκαεύς*[3]). Hanc non diversam esse ab altera fabula, quae erat *Ναύπλιος καταπλέων*, recte perspexit

1) Tragici in Palamedis meritis certatim praedicandis fortasse Stesichori exemplum secuti sunt, qui *ἐν δευτέρῳ Ὀρεστείας τὸν Παλαμήδην λέγει εὑρηκέναι (τὰ στοιχεῖα)* fr. 34 (Bekk. Anecd. II 783, 14).

2) Quamquam ne Sophoclem quidem summam hanc Palamedis gloriam silentio praeterisse puto.

3) Welcker, Trag. I p. 184—191; Nauck, Fragm. trag. Gr.² p. 223—227.

Welckerus; nam quod conieceris argumentum fuisse Nauplii Troiam devecti, ut filii mortem ulcisceretur, id magna quidem ex parte iam in Palamede poeta absolverat. Alterum autem titulum, in quo Welckerus generalem nautae significationem ('Schiffsmann') cognoscere sibi videbatur, fortasse explicant scholii verba: *ἧκεν εἰς Εὔβοιαν,* profectus scilicet ex Argolide, ubi eius sedem fuisse scimus[1]). Iam si quaesiveris, quo tandem huius fabulae loco haec omnia inserta fuerint, perpendas, quaeso, plenae tragoediae ambitum a Sophocle haud facile expleri potuisse, nisi praemissa uberiore narratione de Palamedis meritis atque miserabili morte. Qua praeterea id fortasse efficere voluit poeta, ut nefastum et detestabile Nauplii facinus aliqua quidem ex parte excusaretur.

Atque haud scio an apud Apollodorum alius quoque locus exstet, ex quo argumentum huius fabulae Sophocleae eius in manibus fuisse concludamus, II 1. 5, 13: *Ἀμυμώνη δὲ ἐκ Ποσειδῶνος ἐγέννησε Ναύπλιον. οὗτος μακρόβιος γενόμενος πλέων τὴν θάλασσαν τοῖς ἐμπίπτουσιν ἐπὶ θανάτῳ ἐπυρσοφόρει*[2]). *συνέβη οὖν καὶ αὐτὸν τελευτῆσαι ἐκείνῳ τῷ θανάτῳ, ᾧπερ ἄλλων τελευτησάντων ἐπυρσοφόρει.* Hic ultimum

---

1) Non primus Apollodorus (II 1. 5, 13; 7. 4, 3. III 2. 2, 1) antiquiorem Nauplium, Amymones filium, Naupliae conditorem, cum Palamedis patre, Euboeae rege, confudit, sed iam Strabo caute monet VIII p. 368 s.: *ἡ δὲ γενεαλογία πρὸς τῷ μυθώδει καὶ τοῖς χρόνοις διημάρτηται· δεδόσθω γὰρ Ποσειδῶνος εἶναι, Ἀμυμώνης δὲ πῶς τὸν κατὰ τὰ Τρωικὰ ἔτι ζῶντα;* Pari modo apud tragicos Palamedis pater, sive ipse fuit vetustior ille Nauplius *μακρόβιος*, ut apud Apollodorum, sive ex eius stirpe procreatus, Naupliae habitasse videtur. Nam cum apud Euripidem (Or. 432) Oeax, Palamedis frater, in Argivorum contione prae ceteris Oresti adversarius exsistat, hunc non ex Euboea accurrisse, sed civem Argivum fuisse (v. 431: *τίνες πολιτῶν ἐξαμιλλῶνταί σε γῆς;*) iudicabimus. Atque eadem versio expressa est ab incerto auctore tabulae in Atheniensium pinacotheca servatae, Paus. I 22, 6: *ἐνταῦθα ἐν ταῖς γραφαῖς Ὀρέστης ἐστὶν Αἴγισθον φονεύων καὶ Πυλάδης τοὺς παῖδας τοῦ Ναυπλίου βοηθοὺς ἐλθόντας Αἰγίσθῳ.* Confer de utroque loco Robertum (B. u. L. p. 182 ss. et 140 s.), qui de Stesichoro (fr. 34) talis fabulae auctore cogitavit. Huic igitur Nauplio re vera Nauplia in Euboeam proficiscendum erat, si Achivos Caphareum promunturium praetervehentes perdere volebat.

2) Sic utroque loco Kuhnius bene reposuit pro *ἐδυσφόρει.*

verbum evanuit, cum ex antecedentibus ἐπυρσοφόρει pedem intulisset. Quod igitur verbum restituendum sit, difficile est diiudicatu, sententia autem meo arbitrio haec requiritur: eadem morte ipse periit, qua alios occisos esse gloriari solebat. Atque mira haec verba, quacumque ratione emendanda sunt, non historiam quandam reconditiorem, alibi non traditam, indicant, sed ni egregie fallor, oraculi tenorem atque formam retinent, quale in Nauplii Sophocleae extrema parte aptissime proferri potuit. Nam non putaverim Sophoclem, ut erat mitissimus ac suavissimus homo, sic huius tragoediae exitum composuisse, ut Nauplius subdolo scelere perpetrato triumphans saevo gaudio impune totum se dederet. Qua autem ratione, quandoquidem ipsius rei eventus nullam mutationem admittebat, effrenatam viri insolentiam melius coercere potuit poeta, quam si in fine aut vatem inducebat (qui fortasse iam antea diro Nauplii consilio adversarius exstiterat, conf. Welcker, trag. I p. 185 s.) aut deum Nauplio praedicentem, haud inultum fore tam immane scelus quamvis inimicis hominibus illatum. Haud scio an eidem tribuendum sit regionis nomen in Ξυλοφάγος mutatum, quod in epitoma commemorat Apollodorus.

Iam si circumspicio, quam probabiliter haec omnia a tragicis repeti possint, vix errare mihi videor, si Apollodorum et hoc epitomae Vaticanae et priore illo bibliothecae loco non compendium aliquod totius historiae fabularis, sed argumentorum tragicorum corpus exscripsisse conicio, quale fuerunt Asclepiadis Tragodumena. Nam simili ratione[1]) hic ex tragoediis continuas fabularum enarrationes composuisse videtur, quibus doctam atque electam singularum versionum varietatem ex diversis scriptoribus conquisitam adnexuit, ut ipsius verba docent fr. 5: προσιστοροῦσι δὲ ἔνιοι, . . . ὡς καὶ Φερεκύδης, fr. 9: σχεδὸν ἅπαντες οἱ ποιηταὶ συμφωνοῦσι, fr. 24 (de quo v. § 6, 3 fin.) ὁμολογοῦσιν. Itaque si coniunctum invenimus Asclepiadis mentionem cum aliis vetustiorum scriptorum nominibus, ut fr. 4 (schol. Apoll. Rhod. II 178) Hellanicum Hesiodum Asclepiadem Antimachum Pherecydem, et fr. 17

1) nisi scholiorum Homericorum subscriptionibus ad unam omnibus fides abiudicanda est (conf. § 6, 3 fin.).

(Apollod. II 1. 3, 3) Pherecydem Asclepiadem Cercopem Acusilaum, nec non si idem tribuitur Hesiodo et Asclepiadi fr. 16 (schol. Eurip. Alc. 1), Pherecydi et Asclepiadi fr. 19 (Myth. lat. I p. 39 ed. Bode), mihi quidem veri simillimum videtur totos hos locos ex docti Isocratei opere a scholiastis et mythographis esse excerptos[1]). Atque similem doctrinam ei, quam II 1. 3, 3 de Argo, etiam de Nauplio effudit Apollodorus ib. 5, 14: *πρὶν δὲ τελευτῆσαι, ἔγημεν, ὡς μὲν οἱ τραγικοὶ λέγουσι, Κλυμένην τὴν Κατρέως, ὡς δὲ ὁ τοὺς νόστους γράψας, Φιλύραν, ὡς δὲ Κέρκωψ, Ἡσιόνην*, quae ab Asclepiade repetere non dubito, etiamsi non laudetur. Non enim casui tribuerim, neque quod tragici primo loco memorantur, neque quod hoc loco solo, praeter verba initio eiusdem libri (1. 3, 3) aperte ab Asclepiade derivata, Cercopis mentionem in bibliotheca deprehendimus. Plura hic non addam ad finem properans: alias fortasse de Apollodoro Asclepiadis imitatore uberius exponam.

3. Sed ne sic quidem quaestio de hoc bibliothecae capite absoluta est, nam inexplicata adhuc remanet media narrationis pars de Achivorum uxoribus a Nauplio ad stuprum pellectis, quam in scholio Euripideo desideramus. Hoc autem neque librariorum socordia, neque casu accidisse crediderim, quoniam tota harum fabularum indoles serioris aevi notam patefacit. Namque ea erat recentioris mythopoeiae natura, ut in certos quosdam gyros cogeret multifariam fabularum varietatem, atque, quae diversis in regionibus a singulis poetis excogitata erant, communi quodam consilio aut auctore adinvento inter se conecteret. Sic cum singulorum ducum nostos perlustrantes non modo Clytaemnestram, sed etiam aliorum uxores maritis absentibus fidem violasse, redeuntibus exitium parasse legerent, haec omnia unius auctoris dolo adscribenda curaverunt mythographi. Quis autem tali muneri magis idoneus erat, quam nauta ille peritissimus, quem *πλέοντα τὴν θάλασσαν* (Apollod.) ad quaevis litora naves appulisse facile fingere poterant? Hunc igitur, quem iusto Graecorum odio incensum ingenti clade eos ad Caphareum promunturium af-

1) Confer, quae de Philostephano exposuimus p. 134 s.

flictasse antiquitus traditum erat, etiam omnium rerum adversarum, quae redeuntes domi exspectabant, auctorem fuisse voluerunt recentiores mythographi. Itaque non solum Aegialeam Medam ipsamque Clytaemnestram[1]) Nauplius in adulterium induxerat, ut est apud Apollodorum[2]), sed etiam Ithacam advectus Anticleae, Ulixis matri, simulatam filii mortem nuntiaverat[3]), procosque ad Ulixis domum convocaverat[4]) atque ipsam Penelopen undis submergere conatus erat[5]).

Quomodo autem multivagus ille nauta, tamquam daemon funestus, pedetemptim in has fabulas pedem intulerit, praeter Clytaemnestram, de qua non repeto quae cuivis nota sunt, etiam Aegialeae exemplo apte demonstratur. Nam genuinam causam, qua commota Diomedis uxor coniugii fidem fregerit, e Mimnermo servavit schol. et Tzetz. in Lycophr. v. 610 [fr. 22]: *ὡς Μίμνερμος λέγει, ὑπὸ Διομήδους τρωθεῖσα ἡ Ἀφροδίτη* (Hom. *E* 330 ss.) *παρεσκεύασε τὴν Αἰγιάλειαν πολλοῖς μὲν μοιχοῖς μοιχευθῆναι, συγκοιμηθῆναι δὲ καὶ τῷ Ἱππολύτῳ καὶ Κομήτῃ, τῷ Σθενέλου υἱῷ. Διομήδης δὲ παραγενόμενος εἰς τὸ Ἄργος, ἐπιβουλεύεται παρ' αὐτῆς.*

Qui autem poetae seriores has fabulas primi excoluerint, vix certo evinci poterit. Sed cum Sophoclis *Ναύπλιος καταπλέων*, de quo cogitantem Brunckium refutavit Welckerus (Trag.

1) Confer Hyg. f. CXVII: Clytemnestra Tyndarei filia Agamemnonis uxor cum audisset ab Oeace Palamedis fratre Cassandram sibi pellicem adduci (quod ementitus est, ut fratris iniurias exequeretur) e. q. s.

2) Idem Oeaci tribuit Dictys VI 2: 'Per idem tempus Oeax Naupli filius, Palamedis frater, cognito Graecos ad suos remeare, Argos venit, ibi Aegialen atque Clytemestram falsis nuntiis adversum maritos armat praedicto ducere eos secum ex Troia uxores praelatas his e. q. s.'

3) Eustath. in Od. p. 1678: *ὅρα δή, ὡς οἱ νεώτεροι μὲν ἀπάγξασθαί φασι τὴν τοῦ Ὀδυσσέως μητέρα, πεπυσμένην δόλῳ Ναυπλίου Ὀδυσσέως τελευτήν.*

4) Schol. Marc. et Tzetz. in Lycophr. v. 1093: *ἐν Ἰθάκῃ δὲ τοὺς μνηστῆρας παρεσκεύασε συναχθῆναι.*

5) Eustath. in Od. p. 1422 (conf. schol. Hom. *δ* 797): *τὴν δὲ Πηνελόπην Δίδυμός φησιν Ἀμειράκην ἢ Ἀρνακίαν κυρίως καλεῖσθαι. Ναυπλίου δὲ ῥίψαντος αὐτὴν εἰς θάλασσαν διὰ τὴν τοῦ υἱοῦ Παλαμήδους ποινὴν ὑπὸ πηνελόπων ὄρνεων σωθεῖσαν, ὧν ἡ εὐθεῖα πηνέλοψ, οὕτω μετονομασθῆναι.*

I p. 187), non iam in censuram veniat, fortasse Alexandrini et recentiores tragici, quos Nauplii fata tractasse scimus, ut Philocles, Astydamas (pater), Lycophro[1]), nova haec argumenta cupide amplexi sunt. Ad hanc coniecturam eo adducor, quod primus, quantum scimus, Lycophro has fabulas carmini suo inseruit. Nam de Aegialea quidem vetustiorem Mimnermi versionem praetulit v. 610 ss.[2]), infra autem non modo in universum de Nauplio haec protulit v. 1093 ss.:

τοιαῖσδ᾽ ἐχῖνος μηχαναῖς οἰκοφθορῶν,
παναιολίξει τὰς ἀλεκτόρων πικρὰς
στεγανόμους ὄρνιθας,

verum etiam de Meda Idomenei uxore eadem fere perhibet v. 1217 ss., quae Apollodorus. Hic enim, Leuci saevitia in Medam eiusque filiam exposita, statim Idomenei reditum subiungit. Quem a Leuco patria expulsum esse (unde in Illyriam atque in Calabriam eum pervenisse alii[3]) addiderunt) recentior est fabula, nam salvum eum in patriam redisse testis est Homerus (γ 191), ibique cum Merione sepultum esse Aristoteles q. f. pepl. 15.

Sic etiam factum est, ut ad hos versus Lycophronis et auctor scholiorum Marcianorum et Tzetzes, qui modo scholia vetera, modo bibliothecam exscripsit, fabulas de Nauplio sedulo congesserint. Ex quibus num quae supplementa epitomae nostrae accrescant, in adnotatione ad h. l. (p. 110) exposui. Unde autem ipse Apollodorus Lycophronisque commentatores haec omnia derivaverint, vix incertum relinquitur, si Apollodorum electas doctasque Alexandrinorum versiones a Philostephano mutuatum esse supra recte coniecimus (conf. p. 134 ss. et 279). Haud dubie etiam in Lysimachi Nostis harum fabularum memoriam commode paratam inveniebat.

---

1) Confer Welcker, Trag. III p. 967. 1059. 1256 s.

2) Eandem tangit Ovidius, Met. XIV 477.

3) Prae ceteris Vergilius Aen. III 121 s. et 400 s.; reliqua testimonia versionumque varietatem collegit Stiehlius, Phil. X p. 152 ss. (confer § 27, 4 init.).

§ 26.

NEOPTOLEMUS.

(cap. XXII 7—10.)

1. In Neoptolemi reditu Apollodorum ab hac digressione rursus ad Nostorum conexum se convertisse elucet ex Procli verbis: *Νεοπτόλεμος δὲ Θέτιδος ὑποθεμένης πεζῇ ποιεῖται τὴν πορείαν· καὶ παραγενόμενος εἰς Θρᾴκην Ὀδυσσέα καταλαμβάνει ἐν τῇ Μαρωνείᾳ καὶ τὸ λοιπὸν ἀνύει τῆς ὁδοῦ καὶ τελευτήσαντα Φοίνικα θάπτει· αὐτὸς δὲ εἰς Μολοσσοὺς ἀφικόμενος ἀναγνωρίζεται Πηλεῖ.* Atque tam bene narrationis nostrae initium cum epitoma Nostorum congruit, ut etiam illam stationem duorum dierum eidem fonti tribuere non dubitem, praesertim cum Neoptolemum per biduum Tenedi morantem sine ulla difficultate infigere possimus initio nostorum Homericorum[1]). Nam orto inter principes discidio simul cum Nestore Diomede Ulixe Neoptolemum quoque profectum esse statuo, unde Ulixes apud inferos Achilli iure affirmare potuit salvum Neoptolemum post urbis excidium navem conscendisse (λ 533 ss.). Deinde autem, cum Tenedi egressi essent, ut dis sacra facerent, atque Nestor cum Diomede iter pergeret, Ulixes autem Troiam rediret, Neoptolemus haesitans quid faceret duos dies[2]) Tenedi remansit et matris monitu a navigatione abstinuit. Tum ad Molossos Neoptolemum pervenisse breviter attingit Proclus. Quae fabula num iam Odysseae aetate orta sit nescimus, in hac enim de Neoptolemo nihil aliud praeterea commemoratur, quam Myrmidones salvos in patriam pervenisse (γ 188) et Hermionen sponsam ei a Menelao Phthiam missam esse (δ 5 ss.). Regnum autem in Molosside eum obtinuisse atque sic parentem regum Molossorum factum esse primus Pindarus refert, quamquam apud hunc alia via, quam apud Apollodorum, eo delatus est, Nem. VII 36 ss.:

---

1) γ 130 ss. (conf. Cur. myth. § 23).

2) Tzetzes in Lycophr. v. 902, qui laudato Apollodori nomine haec exscripsit, *μετὰ ἑπτὰ ἡμέρας* perhibet, sed *δύο* exstat in Vitteb. 2 et 3.

ὁ δ᾽ ἀποπλέων
Σκύρου μὲν ἅμαρτεν, ἵκοντο δ᾽ εἰς Ἐφύραν πλάναισιν.
Μολοσσίᾳ δ᾽ ἐμβασίλευεν ὀλίγον
χρόνον· ἀτὰρ γένος αἰεὶ φέρεν
τοῦτο οἱ γέρας.

Contra omni fere ex parte cum Apollodoro conspirat Eratosthenes schol. Hom. γ 188.

Heleni fatum Proclus silentio praeteriit, in ipso carmine omitti vix poterat. Atque ubicumque apud posteriores scriptores in eius mentionem incidimus, cum Neoptolemo aliqua ratione coniunctus est[1]), sive Chaoniam aut Molossidem incolunt, sive post Neoptolemi mortem Andromacham in matrimonium ducit (Eurip. Androm.). Quid quod apud Servium (in Verg. Aen. II 166) non a Thetide, sed ab Heleno Neoptolemus admonetur, ut terrestri itinere pergere praeferat? Haec omnia indicant Helenum non tam captivum, quam amicum atque adiutorem cum Neoptolemo profectum esse, propterea nimirum, quod ipse quondam Achivis auctor fuerat, ut Neoptolemum Troiam arcesserent (c. XXI, 7); unde hanc fabulam iam a vetustioribus auctoribus (Stesichoro?) traditam esse probabiliter conicitur. Quam urbem Helenus in Molossia (cuius terrae alicui parti Chaoniae nomen a Chaone fratre addidisse fertur), condiderit, ex Teucro Cyziceno Steph. Byz. s. v. *Βουθρωτός* affert. Illic, ubi omnia Troica religiose imitatus quasi Ilium novum instituerat, etiam Aeneam hospitio excepit, ut lepide depinxit Vergilius (Aen. III 294 ss.).

Contra singularem ac prorsus novam fabulam Apollodorus addit de coniugio inter Helenum et Deidamiam Neoptolemi matrem non sine ipsius filii auctoritate facto, quod ex alio rerum conexu illatum esse suspicor. Nam in Neoptolemi itinere, quale in bibliotheca describitur, frustra quaesiveris, qua tandem occasione matrem Scyri degentem reviserit. Itaque statuendum est, ab aliis poetis Neoptolemum, quo iam apud Pindarum frustra tetenderat, Scyrum re vera reductum esse,

1) praeter singulares fabulas Daretis 42 s. et Dionis Chrysostomi 11, de quibus confer Engelmannium in Roscheri Lex. myth. I p. 1980 s. Ibidem reliquarum quoque versionum auctores inspicias.

unde mater reliquorum filii errorum particeps fieri poterat. Atque similis versionis unum quidem vestigium repperi apud Pausaniam (III 25, 1), qui Scyro profectum Neoptolemum ad nuptias cum Hermione conficiendas Lacedaemonem pervenisse narrat[1]).

Etiam quae de Pelei morte sequuntur, a Nostis discrepare videntur. Nam Proclus simpliciter indicat, Neoptolemum cum Peleo congressum esse[2]) profectum in Molossorum fines, quo scilicet Peleus quoque exsul pervenerat, ut O. Muellerus suspicatus est (v. Welcker, Trag. I 206). Apollodorus autem, de avi nepotisque congressione nihil referens, Neoptolemum Molossorum devictorum regem factum esse Molossumque ex Andromacha procreasse[3]) atque tum demum, cum Peleus expulsus ab Acasti filiis mortuus est, regnum paternum occupasse narrat. Hanc fabulam de Pelei exsilio, quam ex Il. Ω 488 ortam esse putat Stiehlius, primus dilucide significat Euripides, qui in Troadibus (1127 ss.) Neoptolemum propterea quam celerrime proficiscentem inducit, quod avum ab Acasto regno suo eiectum esse certior factus est. Tristem hunc Pelei exitum Sophocles in Peleo tractasse videtur, quamquam apud illum haud dubie ante Pelei mortem Neoptolemus reverterat (Welcker, Trag. I p. 205 ss.). Propius autem ab Apollodoro abest alia versio, secundum quam Neoptolemus non prius Phthiam redisse potest, quam avus remota in insula diem supremum obiit, schol. Troad. 1128: *εἰσὶ δὲ οἵ φασιν, ὑπὸ τῶν δύο αὐτοῦ* (scil. *Ἀκάστου*) *παίδων, Ἀρχάνδρου καὶ Ἀρχιτέλους κατὰ τὸν καιρόν, ὃν ἔμελλον Ἕλληνες ἐξ Ἰλίου ἐπανιέναι, ἐξεληλά-*

1) Poetam quendam, fortasse Alexandrinum, hoc loco exscriptum esse inde concludo, quod paulo infra (26, 7), haud dubie ex eodem fonte, litoris Lacedaemonii locum memorat, quo Nereides adscendisse ferebantur, ut Pyrrhum adspicerent (conf. Apoll. Rhod. I 549 s., Catull. 64, 12 ss.).

2) Singulari modo Dictys VI 7 ss. hoc excoluit.

3) Huic filio, quem etiam Eratosthenes (schol. γ 188) attulerat, Molossorum regnum, cum Phthiam pergeret, reliquit, ut apud Paus. I 11, 1 s. Helenus moriens eundem regni successorem sibi elegit. Eum Molossidis regem futurum esse iam apud Euripidem (Androm. 1246) Thetis Peleo vaticinatur. Ex Hermione Molossum procreatum esse rettulit Lysimachus fr. 14 M. [schol. Ven. Eurip. Androm. 33].

σθαι (τὸν Πηλέα) καὶ ἐλθόντα εἰς ἀπάντησιν τῷ Νεοπτολέμῳ προσελθεῖν διὰ χειμῶνα τῇ Κῷ τῇ νήσῳ καὶ ξενισθέντα ὑπὸ Μόλωνός τινος Ἄβαντος ἐκεῖ καταλύσασθαι τὸν βίον. Hanc igitur relationem, quam Callimachi fuisse conicias[1]), fortasse Apollodorus ante oculos habuit.

2. De Neoptolemi excessu Proclus nihil addit, Apollodorus duas inter se opponit fabulae formas: Achillis filium aut ab Oreste propter Hermiones raptum Delphis interfectum, aut cum Delphos venisset, ut patris mortem vindicaret Apollinisque templum incenderet, a Machaereo sacerdote percussum esse. Hanc versionem et pervulgatam fuisse testatur Asclepiades fr. 9: *περὶ μὲν οὖν τοῦ θανάτου* (scil. *τοῦ Νεοπτολέμου*) *σχεδὸν ἅπαντες οἱ ποιηταὶ συμφωνοῦσι, τελευτῆσαι μὲν αὐτὸν ὑπὸ Μαχαιρέως* . . ., et vetustiorem esse concludo ex Pind. Nem. VII 40 ss.:

ᾤχετο δὲ πρὸς θεόν,
κτέαν᾽ ἄγων Τρωΐαθεν ἀκροθινίων·
ἵνα κρεῶν νιν ὕπερ μάχας ἔλασεν ἀντιτυχόντ᾽
ἀνὴρ μαχαίρᾳ,

quamquam causam adventus prorsus contrariam affert, sive altera nondum inventa erat, sive vates Thebanus ex ingenii sui indole, praecipue in carmine, quo Aeacidarum gloriam celebrabat, tantam animi ferociam magno Achillis filio indignam esse iudicabat. Contra Hermionen Neoptolemi mortis causam tragici amplexi sunt, sic tamen, ut ipsam caedem a Machaereo perpetratam esse plerumque retineant; qua re quaestionis nostrae difficultas haud mediocriter augetur. Sic Euripides in Oreste quidem, ubi Apollo de Neoptolemi nece Oresti praedicit, omni ex parte cum posteriore Apollodori versione congruit, v. 1654 ss.:

γῆμαι πέπρωταί σ᾽ Ἑρμιόνην· ὃς δ᾽ οἴεται
Νεοπτόλεμος γαμεῖν νιν, οὐ γαμεῖ ποτε.
θανεῖν γὰρ αὐτῷ μοῖρα Δελφικῷ ξίφει
δίκας Ἀχιλλέως πατρὸς ἐξαιτοῦντά με.

1) Fr. 372 (schol. Pind. Pyth. III 167): *Πηλεὺς ἐν Κῷ τῇ νήσῳ ἀτυχήσας τὸν βίον οἰκτρῶς καὶ ἐπωδύνως ἀπέθανεν, ὡς καὶ Καλλίμαχος μαρτυρεῖ.*

Contra in Andromacha bis Neoptolemus oraculum adiit: primum enim ut patrem ulcisceretur Delphos venit; deinde autem, cum adesset, ut deum ob hanc insaniam iratum placaret, Orestes insidiis paratis effecerat, ut hac occasione occideretur a Machaereo, quem v. 1150[1]) significari recte monuit Welckerus (Trag. I p. 220 adn.). Apparet igitur Euripidem hic duas versiones ab Apollodoro diligenter separatas inter se coniunxisse.

Iam indagandum nobis est, num idem, quod Welckerus (Trag. I p. 219 ss.), de **Sophoclis Hermione** statuamus. Huius autem tragoediae notitia, cum ceterum unus tantum versiculus atque unum vocabulum supersint (fr. 200 s. N.), praeter fragmenta Pacuvii paulo uberiora — hic enim non minus quam Livius Andronicus[2]) fabulam Sophocleam imitatus est — tota pendet a schol. Hom. δ 4, quod ex Eustathii narratione paulo uberiore suppleri posse videtur.

schol. Od. δ 4[3]): *Σοφοκλῆς ἐν Ἑρμιόνῃ φησὶν ἔτι ἐν Τροίᾳ τυγχάνοντος Μενελάου ἐκδοθῆναι τὴν Ἑρμιόνην ὑπὸ Τυνδάρεω τῷ Ὀρέστῃ, κατὰ δὲ ὑπόσχεσιν ἥκοντος Νεοπτολέμου ἀφαιρεθῆναι τὸν Ὀρέστην ταύτην· πάλιν δὲ αὐτῇ συνοικῆσαι τὸν Ὀρέστην Νεοπτολέμου ἐν Πυθοῖ ἀναιρεθέντος ὑπὸ † Τυνδάρεω, καὶ τότε τὸν Τισαμενὸν γεννῆσαι.*

Eustath. Od. p. 1479, 10: *Σοφοκλῆς δέ, φασίν, ἐν Ἑρμιόνῃ ἱστορεῖ ἐν Τροίᾳ ὄντος ἔτι Μενελάου ἐκδοθῆναι τὴν Ἑρμιόνην ὑπὸ τοῦ Τυνδάρεω τῷ Ὀρέστῃ. εἶτα ὕστερον ἀφαιρεθεῖσαν αὐτοῦ ἐκδοθῆναι τῷ Νεοπτολέμῳ κατὰ τὴν ἐν Τροίᾳ ὑπόσχεσιν· αὐτοῦ δὲ Πυθοῖ ἀναιρεθέντος ὑπὸ* Μαχαιρέως, *ὅτε τὸν* Ἀπόλλω τινύμενος τὸν του πατρὸς ἐξεδίκει φόνον, *ἀποκαταστῆναι αὖθις αὐτὴν τῷ Ὀρέστῃ. ἐξ ὧν γενέσθαι τὸν Τισαμενὸν* φερωνύμως οὕτω κληθέντα παρὰ τὴν μετὰ μένους τίσιν, ἐπεὶ ὁ πατὴρ Ὀρέστης ἐτίσατο τοὺς φονεῖς τοῦ Ἀγαμέμνονος.

---

1) *ὀξυθήκτῳ πλευρὰ φασγάνῳ τυπεὶς Δελφοῦ πρὸς ἀνδρός.*

2) Confer de Livii et Pacuvii Hermione Ribbeck, Hist. trag. Rom. p. 31 et p. 261—270.

3) Addo Hygini narrationem f. CXXIII: 'Neoptolemus . . ., postquam audivit, Hermionen sponsam suam Oresti esse datam in coniugium, Lacedaemonem venit et a Menelao sponsam suam petit. Cui ille fidem suam infirmare noluit Hermionenque ab Oreste abduxit et Neoptolemo dedit.

Satis proclive erat pro voce aperte corrupta *Τυνδάρεὼ* ex Eustathio reponere *Μαχαίρεως*. Sed non semper id, quod tam opportune quasi per se nobis offertur, ut ab omnibus viris doctis comprobatum sit, acu rem tetigit. Meo enim iudicio non licet scholii depravati emendationem ab Eustathio repetere, nisi uberiorem argumenti Sophocleae formam ab eo re vera expressam esse constat. Quod quo veri similius primo obtutu videtur, eo fallacius esse mihi crede.

Nam, ut ab ipso Machaereo incipiamus, ego quoque eum in Sophoclis fabulam recipere non gravarer, nisi addidisset Eustathius Neoptolemum patris ulciscendi causa Delphos venisse. Hoc autem scelus ad Sophoclis Hermionen minus quadrare recte contenderunt Welckerus et Ribbeckius, qui veram itineris causam bene perspexerunt, nimirum de progenie, qua etiamtum orba erat Hermione, Neoptolemum oraculum adisse (conf. Pacuv. fr. 1), atque ob id ipsum, ut in Euripidis Ione Xuthum Creusam, uxorem secum duxisse. Deinde quod scholiographus breviter monuerat, raptam esse Oresti Hermionen, sic exponit Eustathius, ut eam marito ademptam Neoptolemo a patre in matrimonium legaliter datam esse referat. Nonne vides flagrantem Orestis iracundiam, quae usque ad caedem adversarii erupit, sic quasi dividendam fuisse inter Neoptolemum et socerum suum, qui illius precibus aut minis indulserat? Itaque Sophoclem quidem, cui id agendum erat, ut iustissima Orestis ira in Neoptolemum unum excitata immane eius facinus quam maxime excusaret, sic fabulae suae gravitatem ipsum imminuisse vix crediderim. Atque feliciter accidit, quod recentiorem quendam tragicum huius versionis testem (non dixerim inventorem) cognoscimus ex schol. Eurip. Androm. 32: *Φιλοκλῆς δὲ ὁ τραγῳδοποιὸς* [fr. 2 p. 759 N.] *καὶ . . . προεκδοθῆναι φησὶν ὑπὸ Τυνδάρεω τὴν Ἑρμιόνην τῷ Ὀρέστῃ, εἶτα ὕστερον ὑπὸ Μενελάου δοθῆναι Νεοπτολέμῳ.* Quod denique ad Tisameni nominis veriloquium attinet, non dubito, quin etiam in fine tragoediae Sophocleae Orestis filio, antequam conceptus esset, nomen additum sit, sive quod ille patris mortem, sive quia raptum uxoris ultus erat;

Orestes iniuria accepta Neoptolemum Delphis sacrificantem occidit, et Hermionen recuperat'.

hoc autem pro certo affirmaverim, ineptas argutias, quibus vel ex simplici nominis terminatione aliquis sensus ab Eustathio elicitur, tamquam si Orestes μετὰ μένους ἐτίσατο patris occisores, insulsi grammatici lucernam redolere, a Sophoclis autem ingenio, qui omnino in etymologiis admittendis parcus fuisse videtur[1]), alienissimas esse. Cum igitur omnia, quae in Eustathii narratione scholio Homerico adiecta sunt, aliunde illata esse appareat, veri simillimum est sic etiam Machaerei nomen cum mutata itineris causa in Eustathii relationem irrepsisse, unde temere Sophocli a criticis obtrusum est[2]).

At omnino negaverunt viri docti re vera exstitisse fabulam de Neoptolemi caede ab ipso Oreste perfecta, ut Welckerus p. 221: 'Wer kurz erzaehlt, laesst geradezu den Orestes den Neoptolemos toeten, wie Vergilius Velleius Hygin Heliodor. Iustin (XVII 3) sagt: insidiis Orestis inter altaria dei interiit Pyrrhus; und so sind auch die uebrigen zu verstehen'. Haec autem opinio, in quam Euripidis auctoritas[3]) virum maxime venerabilem induxerat, falsissima est. Quid enim, ut de reliquis testimoniis taceam, homicidium ipsis Orestis manibus commissum planius ac disertius declarat, quam Vergilii descriptio huius facinoris, Aen. III 330 ss.:

---

1) conf. R. Hecht, De etymologiis apud poetas Graecos obviis (diss. Regim. 1882) p. 63.

2) Cave, ne quid tribuas schol. Eurip. Or. 1655. In hoc enim ex Pherecyde [fr. 98] narratur Neoptolemum περὶ παίδων χρησόμενον Delphos venisse ibique discidio de hostiae carne orto a Machaereo interfectum esse. Quo autem mira adnotatio: ταῦτα γενεαλογεῖ καὶ Σοφοκλῆς spectet, prorsus me fugit, nisi forte mecum statuis eam quondam uberiori enarrationi, in qua Tisameni genealogia in fine commemorata erat, subscriptam esse.

3) Euripidem Or. 1653 ss. genuinam fabulae formam sine Orestis mentione servasse supra vidimus; in Andromacha autem, ubi Orestes consilium adversarii necandi capit, ipse propositum suum propterea exsequi non potest, quod, dum haec Delphis geruntur, iam Phthiam profectus erat, ut Hermionen sibi recuperaret. Hanc igitur ob causam, non quod vetustam traditionem mutare veritus est (quam religionem ab eius ingenio alienissimam fuisse multae eius fabulae luculenter docent), utramque versionem confudit.

ast illum, ereptae magno inflammatus amore
coniugis et scelerum Furiis agitatus, Orestes
excipit incautum patriasque obtruncat ad aras.

Idemque monumenta a Ribbeckio (p. 269) descripta aperte indicant. — Iam intellegimus, quam distincte Apollodorus has duas versiones inter se opposuerit, quamque apte, quae rerum conexu cohaereant, coniunxerit: Hermiones raptum cum Orestis facinore, Neoptolemi ferociam atque nefas cum poena ab Apollinis sacerdote perfecta. Hanc relationem in Euripidis Oreste deprendimus, illam Sophocli tribuere non dubito. Nam ex tota fabulae Sophocleae natura erat, ut Delphicus deus non in privatas Neoptolemi et Orestis inimicitias immisceretur, sed Orestes sceleris in se commissi ultor ipse exsisteret. Itaque confidenter in argumento tragoediae restituamus *ἀναιρεθέντος ὑπὸ Ὀρέστου* pro *Τυνδάρεω*, cuius nomen ex linea antecedenti, ubi cum Orestis mentione coniunctum est, facillime irrepere potuit.

Sic absolutus reponitur consensus inter scholium, Apollodorum, Hyginum, nisi quod hic a Menelao Hermionen novo marito traditam esse refert. Contra in bibliotheca Neoptolemus ipse, cum Orestes a Furiis agitatus insaniret, uxorem ei rapuit. Hanc versionem adhuc ignotam egregium Sophoclis inventum esse statuo. Namque hac atrocitate atque violentia Neoptolemi, qui ex miserando Orestis morbo lucrari haud dedignatus erat, aliqua ex parte excusabatur Orestis ingens iracundia saevumque facinus[1]). Atque etiam simplici temporum computatione evincitur Orestem tum, cum uxorem amitteret, iam furere coepisse. Menelaus enim, qui Troiae Neoptolemo filiam promiserat, eo ipso die, quo Orestes patris mortem ultus erat, in patriam redierat (γ 311). Sic etiam apud Ovidium, quem in Hermiones epistula componenda Sophoclis fabulam ante oculos habuisse veri simillimum est, Neoptolemus sponsam promissam per vim rapuit, sed frustra quaesiveris, ubi tandem Orestes moratus sit, cum (Her. 8, 9 s.)

1) 'Gern wuesste man, ob und durch welche Erfindung es Sophokles gelungen sein mag, das Gehaessige in der Rolle des Orestes vollends zu mildern'. Ribbeck, Hist. trag. Rom. p. 269.

surdior ille freto clamantem nomen Orestis
traxit inornatis in sua tecta comis.

Atque Hermione quidem in epistula ad Orestem data veram causam memorare caute evitat, ne tristissimi illius temporis memoriam renovet; ex Pacuvii autem Hermione superest versiculus (fr. 2), quo depingitur, quam misere Orestes

tristitia atque animi intoleranda anxietudine

illo tempore vexatus sit, quo durus atque inexorabilis Achillis filius uxorem ei eripiebat[1]). —

Haec omnia, quae ex Apollodoro aliisque fontibus secundariis de Neoptolemi morte congessimus, variis tragicorum fabulis confirmari apparuit, ut facile ad coniecturam inclinemus, ex tragodumenorum corpore, quale Asclepiadis erat (conf. p. 266 s.), ea in mythographorum et commentatorum rivulos defluxisse.

§ 27.

ALIORUM DUCUM ERRORES.

(cap. XXIII 1.)

1. Huc usque Apollodorus Nostorum poetam ita secutus est, ut narrationum ordinem ab eo institutum retinens hic illic singulas quasdam versiones aliunde adsumptas insereret, itemque in fine epitomae nostrae Atridarum nostos descripturus ad hoc carmen rediit, cuius in epitoma Neoptolemi adventum statim excipit Agamemnonis caedes Menelaique reditio. Contra in excerptis Vaticanis hoc loco Nostorum continuitas eo interrumpitur, quod post brevem adnotatiunculam de eis, qui redeuntes in Africam Italiam Siciliam aliasque terras aberraverunt, interpositae sunt uberiores relationes de Demophonte

1) Nam minus recte Ribbeckius ex hoc fragmento conclusit Orestem in hac fabula etiamtum furentem inductum esse. Qua enim ratione in hoc rerum conexu ab Apolline, ut a Furiis liberaretur, impetrare potuit? An eo, quod non iussus a deo, sed privato odio inflammatus adversarium ad ipsas aras obtruncavit? Equidem coniecerim Orestem, postquam sanatus est, ob id ipsum oraculum adisse, ut certior fieret, num qua spes uxoris recuperandae sibi affulgeret.

et Phyllide, de Podalirii et Amphilochi fatis, denique de tributo a Pallade Troiana Locrensibus imposito; quae omnia non modo apud Proclum desiderantur — quis vero spondet non multo plura, quam quae in exili illa epitoma leguntur, in carmine epico exstitisse? — sed etiam recentioris originis vestigia plerumque prae se ferunt, sive certa poetarum Alexandrinorum testimonia, sive tota fabularum natura eam indicat. Itaque statuendum erit, ex posteriore quodam cyclo, quales Lysimachi Nostos fuisse scimus, haec exscripta esse, nisi forte Apollodorus hic quoque Philostephani[1]) volumina adhibuit (conf. p. 134 ss.).

Ac primum quidem paucis verbis ii absolvuntur, qui de cursu recto in patriam tempestatibus deflexi alienas in terras pervenerant novasque ibi patrias sibi condiderant. Quorum quantus fuerit numerus, ex Lycophrone eiusque commentatoribus aptissime cognoscitur. Nam modo non omnes Graecorum coloniae id egisse videntur, ut antiquissimo quodam conditore invento stupendae vetustatis venerandaeque originis gloriam adipiscerentur, cui piae fraudi deinde cultu heroico sacrificiisque institutis fidem addere properaverunt. Unde autem commodius et cum maiore veritatis specie tales fabulas derivare poterant, quam ab inclutis belli Troiani ducibus, qui quondam ex diversissimis Graeciae regionibus convocati, deinde in reditu disiecti innumerabilia mala in mari perpessi erant? Sic eos quoque, quos salvos ad penates suos redisse constabat, ut Philoctetem Diomedem Idomeneum Teucrum, calamitatibus domesticis rursus expulsos ingens aequor iterasse et 'Teucro duce et auspice Teucro' vel quovis alio heroe novas sedes sibi comparasse fingebant. Denique etiam pauci qui superstites erant Troiani similium honorum, quorum Aeneas, participes facti sunt[2]).

Iam nobis quaerendum est, utrum Apollodorus largissimam

1) Philostephanum quoque singulorum heroum nostos tractasse patet ex schol. in Lycophr. v. 586 de Cepheo et Praxandro: *καὶ οὗτοι δὲ παρεγένοντο εἰς Κύπρον, ὥς φησι Φιλοστέφανος.*

2) Horum errores R. Stiehle diligenter congessit (Philol. XV p. 592—619).

hanc fabularum copiam tam breviter, quam in excerptis legimus, indicasse satis habuerit, an potius epitomator ea, quae fusius in bibliotheca enarrata erant, in pauca verba coartaverit. Haec quaestio Tzetzae scholiis in Lycophronem disceptatur, nam inter medias loquacissimi omnium interpretis ambages complura Apollodori fragmenta uberiora, quae huc pertinent, deteguntur, sive ipse auctorem suum laudat, sive narrationis indoles orationisque tenor eum prodit.

2. Ut a certis exemplis ordiamur, primo loco afferendum est schol. in v. 902 de Gunei Prothoique, Thessalorum ducum, (Il. *B* 756 ss.) erroribus[1]): *Ἀπολλόδωρος δὲ καὶ οἱ λοιποὶ οὕτω φασί· Γουνεὺς εἰς Λιβύην λιπὼν τὰς ἑαυτοῦ ναῦς ἐλθὼν ἐπὶ Κίνυφα ποταμὸν κατοικεῖ. Μέγης*[2]) *δὲ καὶ Πρόθοος ἐν Εὐβοίᾳ τὸν Καφηρέα σὺν πολλοῖς ἑτέροις διαφθείρεται. [Νεοπτόλεμος δὲ μετὰ ἑπτὰ ἡμέρας πεζῇ εἰς Μολοσσοὺς ἀπῆλθε μετὰ Ἑλένου, καθ' ὁδοῦ θάψας Φοίνικα.] τοῦ δὲ Προθόου περὶ τὸν Καφηρέα ναυαγήσαντος οἱ σὺν αὐτῷ Μάγνητες εἰς Κρήτην ῥιφέντες ᾤκησαν.* Cum Guneo Prothoo aliisque etiam Eurypylum post urbis excidium in Libyen pervenisse iam ad v. 899 memoratum erat. Quae autem uncis inclusimus, ex alio bibliothecae loco illata esse cum ex rerum conexu, tum ex epitoma Vaticana (c. XXII 7) patet[3]). Hic igitur Tzetzes, ut alibi, pauca scholiorum veterum verba: *μετὰ γὰρ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν Γουνεὺς καὶ Πρόθοος καὶ Εὐρύπυλος εἰς Λιβύην ἦλθον* primum (ad v. 899) repetiit, deinde (ad v. 902) copiosiore Apollodori narratione circumscripsit. Cum Guneus et Prothous, Thessalorum duces, in navium catalogo (*B* 756 ss.) enumerati sint, haec fortasse iam in Hagiae Nostis exstitisse conieceris.

Difficilius est de schol. v. 921 certum iudicium facere, ubi eorum fata explicantur, qui Priami sorores secum duxerant[4]).

1) conf. Heynii edit. I p. 386.

2) *Μέγης* coniecit Stiehlius (Phil. VIII p. 68 et 649 s.) coll. Hom. *B* 625 ss. et Aristot. pepl. 25; codd. Vitt. 2 et 3 *Μέγας*, reliqui *Μάγνητες* perhibent.

3) Quam neglegenter Tzetzes diversos Apollodori locos permiscuerit, apparet e. gr. ex schol. 1046, ubi mediis epitomae nostrae verbis locum servatae bibliothecae de Amphilocho (III 7. 7, 4) inseruit.

4) Thessalos fuisse, quos quondam Protesilaus Troiam duxerat, suspiceris ex falsa adnotatione Cononis (13), qui, cum ceterum ab Apollodoro

Ναύαιθος ποταμός ἐστιν Ἰταλίας. ἐκλήθη δὲ οὕτω κατὰ μὲν Ἀπολλόδωρον καὶ τοὺς λοιπούς, ὅτι μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν αἱ Λαομέδοντος θυγατέρες, Πριάμου δὲ ἀδελφαί, Αἴθυλλα Ἀστυόχη Μηδεσικάστη, μετὰ τῶν λοιπῶν αἰχμαλωτίδων ἐκεῖσε γεγονυῖαι τῆς Ἰταλίας, εὐλαβούμεναι τὴν ἐν τῇ Ἑλλάδι δουλείαν τὰ σκάφη ἐνέπρησαν, ὅθεν ὁ ποταμὸς Ναύαιθος ἐκλήθη, καὶ αἱ γυναῖκες Ναυπρήστιδες. οἱ δὲ σὺν αὐτοῖς Ἕλληνες ἀπολέσαντες τὰ σκάφη ἐκεῖ κατῴκησαν (conf. schol. v. 1075). Prope Crotonem hunc fluvium situm esse memorat Strabo (VI p. 262), qui *Νέαιθον* eum vocat, contra Euphorio(!) et Steph. Byz. s. v. *Ἀσκανία* in nominis forma cum Apollodoro congruunt. Sed gravem dubitationem de huius fragmenti Apollodorei fide nobis inicit alia nominum discrepantia; nam in regum Troianorum genealogia (bibl. III 12. 3, 8) hae enumerantur Laomedontis filiae *Ἡσιόνη καὶ Κίλλα καὶ Ἀστυόχη*. Atque ex scholio vetere hanc differentiam tollere non contingit, nam in illa relatione multo breviore nomina omnino non afferuntur. Itaque nihil aliud restat, quam ut aut hunc quoque locum eis adscribamus, quibus Apollodorus, cum diversos fontes exscriberet, quod hic certo constat, pugnantia se referre sive omnino non sensit sive neglexit, aut veri Apollodori Atheniensis memoriam excitemus, quem in uberrimis commentationibus *περὶ τοῦ νεῶν καταλόγου* — duodecim libri erant — etiam redeuntium ducum errores tetigisse certum est. Hoc iam Stiehlio (Philol. XV p. 650) in mentem venerat; nunc autem, cum scimus, quam studiose bibliothecae quoque a Tzetze adhibitae auctor, quisquis fuit, nostos tractaverit, hanc unam fabellam vix a reliquis separabimus. Contra Strabonem, cui saepius cum doctissimo illo mythographo res est, ex eius opere sua petiisse libenter concedo. Quod si Tzetzes quoque manibus tenuisset, doctam adnotatiunculam de diversis fluvii nominibus subiungere vix omisisset. — Duobus his fragmentis tertium accedit Apollodori nomine signatum de Amphilochi et Mopsi certamine, quod infra ad c. XXIII 6 explicabimus.

3. Iam priusquam ad ea perveniamus, quae mera coniec-

non differat, ipso cum Protesilao illas Troia profectas esse narrat; sed conf. Tzetz. in Lycophr. 911 (Cur. myth. § 27, 4).

tura Apollodoro adsignari possunt, paucis exemplis illustremus, qua ratione Tzetzes scholia vetera in Lycophronem et bibliothecam suum in usum converterit[1]). Non enim tam simplici ratiocinatione uti licet, ut ea, quae neque in scholiis e codice Marciano a Kinkelio editis, neque in servatis Homeri Euripidis aliorumque commentariis leguntur, ex Apollodoro descripta esse putemus, cuius bibliothecam multo studiosius, quam adhuc constabat, a Tzetze lectitatam et adhibitam esse nunc videmus.

Nam primum multarum Tzetzae adnotationum ea est condicio, ut non tam scholia vetera in codice Marciano nobis tradita, quam multo uberiora et pleniora eius in manibus fuisse certo concludatur ex multis indiciis. Quod ad demonstrandum satis habeo paucos scholiorum Marcianorum locos breviores citasse, quibus supplementa prorsus necessaria ex Tzetzae farragine uncis inclusa apposui; schol. v. 431, Tzetz. p. 601 s. M.: *Ἐρεχθεὺς γὰρ καλεῖται ὁ Ζεὺς ἐν Ἀθήναις καὶ ἐν Ἀρκαδίᾳ, ἢ διὰ τὸ ὀρέξαι τὴν Ῥέαν τῷ Κρόνῳ λίθον ἀντὶ τοῦ Διός ⟨ἢ παρὰ τὸ ἐρέχθω, τὸ κινῶ· δι᾿ αὐτοῦ γὰρ οἱ σεισμοί⟩*; schol. v. 529, Tzetz. p. 671: *ποιμνίων δὲ εἶπεν, ὅτι καὶ ὁ ποιητὴς ποιμένα λέγει τὸν βασιλέα ⟨ποίμνια δὲ τὸν ὑπ᾿ αὐτοῦ λαόν⟩*; schol. v. 1424, Tzetz. p. 1029: *ὡς πάντες οἱ ποταμοὶ ἐξηράνθησαν ἐκ τοῦ πλήθους τῶν Περσῶν, ἀλλ᾿ ἢ μόνος ὁ ἐν τῇ Ἀττικῇ Ἰλισσὸς ⟨καὶ ὁ⟩ ἐν Θεσσαλίᾳ Ὀνόχωνος καλούμενος, ὥς φησιν Ἡρόδοτος ⟨καὶ Καλλίμαχος⟩*[2]). Sic etiam alibi auctorum nomina, quae scholiis Marcianis addidit, ex nullo alio fonte derivavit, ut schol. v. 91 *πύραργος δὲ εἶδος ἀετοῦ*, Tzetz. p. 378 *εἰσὶ γὰρ μελάμπυγοι, πύραργοι εἴδη ἀετῶν κατ᾿ Ἀρχίλοχον* [fr. 189, conf. fr. 183 cum Bergkii adn.]; schol. v. 1050, Tzetz. p. 918 de Althaeni fluvii nomine: *ὅθεν καὶ ὁ ποταμὸς ἔσχε* (*ἔχει* Tzetz.) *τὴν ὀνομασίαν ⟨ὡς ἀλθαίνων κατὰ Τίμαιον καὶ θεραπεύων ἁπάντων τῶν λουομένων ζώων τὰ τραύματα⟩*. Neque dubitaverim, quin Tzetzes e. gr. Eupho-

1) Nolo harum commentationum conexum interrumpere quaestione de Tzetzae commentarii condicione ac fontibus ab integro instituta, quae omnino nisi codicibus denuo collatis absolvi non poterit.

2) Luculentissimum exemplum schol. 1067 circa finem huius paragraphi (p. 287) memorabimus.

rionis fr. 55 Mein., Antimachi fr. 24 K., Hesiodi fr. 178 K. (ὁ τῆς Μελαμποδίας ποιητής), quorum notitiam huic soli auctori debemus, ex uberiore forma scholiorum veterum in vv. 496, 591, 682, quibus illos versus subiunxit, repetierit. — Deinde, ut aliorum poetarum, in primis Homeri et Euripidis, sic etiam Lycophronis scholia vetera haud raro cum Apollodori enarrationibus dilucide congruunt, sive Didymi Theones aliique veterum commentariorum scriptores eosdem auctores, quibus postea Apollodorus usus est, adhibuerunt, sive recentiores scholiorum compilatores explicationes antiquiores Apollodori fabulis auxerunt, quibus ut pro sua aliorum doctrinam venditarent, auctoris nomen subscribere caute evitaverunt. Talibus igitur de locis non semper promptum est iudicium, quid re vera ex bibliotheca, quid e scholiis Tzetzes derivarit.

Ac facillime quidem ei expediuntur loci, quibus Tzetzes verba scholiographi ab Apollodori versione diligenter separavit. Sic de Lycaone ad v. 481 priori veteris commentarii adnotationi substituit bibliothecae relationem (III 8. 1 s.), posteriorem autem (ἄλλως) ad verbum exscripsit; sic de Calchantis morte ad v. 980, praemissa ea fabula quam Apollodoream esse nunc scimus, alteram illam de Calchante ab Hercule necato, non sine acerbissimis conviciis in Lycophronis socordiam coniectis, ex scholio Marciano sequi voluit[1]). Multo autem frequentius miram quandam artem praestitisse sibi visus est, cum ex scholiastae et Apollodori verbis novam fabulam quacumque ratione consuisset. Sic ad v. 384 de Nauplio Tzetzen utroque fonte usum esse non tam inde evincitur, quod nova quaedam adiecit, quae etiam in bibliotheca redeunt, — haec enim ex uberiore scholii veteris forma fortasse manaverunt — quam inde, quod singula verba originem Apollodoream indicant. Quo commodius Tzetzae rationem cognoscas, ultimum huius scholii enuntiatum subscribo:

schol. Marc. v. 386:	Apollod. ep. XXII 6:	Tzetz. p. 573:
ἡνίκα δὲ ἤκουσε τὴν	ὕστερον μαθὼν τὴν	ὕστερον δὲ ἀκούσας
τῶν Ἑλλήνων ἐπάνοδον	εἰς τὰς πατρίδας τῶν	τὴν τῶν Ἑλλήνων ἐπά-
ἐπὶ τὴν πατρίδα, ἧψε	Ἑλλήνων ἐπάνοδον, τὸν	νοδον ἐπὶ τὴν πατρίδα

1) De scholiis ad v. 899 (schol. vet.) et 902 (Apollod.) modo exposuimus (p. 280).

πυρὰν περὶ τὰ κοῖλα τῆς Εὐβοίας, ἔνθα προσεπέλασαν οἱ Ἕλληνες δοκοῦντες λιμένα εἶναι, καὶ ἐκεῖ διεφθάρησαν.	*εἰς τὸν Καφηρέα, νῦν δὲ Ξυλοφάγον λεγόμενον ἀνῆψε φρυκτόν ἔνθα προσπελάσαντες Ἕλληνες ἐν τῷ δοκεῖν λιμένα εἶναι διεφθάρησαν.*	*ἧψε φρυκτὸν περὶ τὰ κοῖλα τῆς Εὐβοίας καὶ*[1]) *ὃν εἴπομεν Καφηρέα, νῦν δὲ Ξυλοφάγον καλούμενον, ὅπου προσπλεύσαντες οἱ Ἕλληνες ἐν τῷ δοκεῖν λιμένα εἶναι διεφθάρησαν.*

Hic igitur utriusque fontis confusio a Tzetze facile effici potuit, quoniam eundem auctorem et scholiographus et Apollodorus aperte exscripserunt; contra altero illo loco de Calchante ad v. 427, etiamsi multis modis inter se differant versiones Apollodori et schol. vet., tamen Tzetzes breviorem scholiastae narrationem ex bibliotheca supplevit. De Tenne autem ad v. 232 disputans Tzetzes, quamvis inter se concinant schol. Marc. et Apollodorus, solam commentatoris relationem secutus esse videtur, nisi quod Laomedontis Tragasique nomina non minus ex scholio uberiore quam ex Apollodoro addita esse possunt.

Denique per se intellegitur diligenter cavendum esse, ne ea, quae translata ab ipsis Lycophronis versibus Tzetzes adnotationum farragini inseruit, Apollodoro tribuamus.

4. Hisce praemissis accingamur ad investiganda nova Apollodori fragmenta de erroribus eorum Achivorum, qui in terras ab epitomatore breviter memoratas pervenerunt. Ac primum quidem in Italia praeter Laomedontis filias, quas huc pertinere modo vidimus, prae ceteris Idomeneus Diomedes Philoctetes novas sedes quaerebant. Ex quibus I d o m e n e u m a Leuco patria expulsum esse Apollodorus rettulit c. XXII 5 (conf. § 25, 3 fin.). Incertum autem relinquitur, num reliqua eius fata persecutus sit, de quibus, cum a Lycophrone in Alexandra omissa sint, ne Tzetzes quidem verba fecit. Contra de D i o m e d e multus est et Lycophro (v. 592—632) et cum scholiasta Tzetzes, qui ter deinceps eius adventum in Italiam narrat ad vv. 603, 610, 615. Ex his altera historia de Diomede et Aegialea, quam § 25, 3 partim exscripsimus, Mimnermum auctorem prae se fert, tertia de Colchici draconitis caede statuisque ex lapidibus Troicis confectis ad Timaei

1) lege: *καθ' ὃν εἴπομεν Καφηρέα.*

Lycique auctoritatem provocat, quamquam multa ex Lycophrone admixta esse docent scholia Marciana. Ergo sola restat prima, schol. Marc. 592, Tzetz. p. 693:

Διομήδης μετὰ τὴν τῆς Ἰλίου πόρθησιν καταπλεύσας εἰς Ἄργος τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα, καὶ εὑρὼν τὴν αὑτοῦ γαμετὴν Αἰγιάλειαν συμφθειρομένην Κομήτῃ τῷ υἱῷ Σθενέλου, [διὰ τὸ αὐτὸν ἐν Τροίᾳ τρῶσαι τὴν Ἀφροδίτην] καὶ μέλλων ὑπὸ [τῆς] αὐτῆς [Αἰγιαλείας] ἀναιρεθῆναι, τότε μὲν εἰς τὸν τῆς Ἀργείας Ἥρας βωμὸν καταφυγὼν σώζεται· ὕστερον δὲ εἰς Ἰταλίαν ᾤχετο καὶ εἰς Δαύνιον ἔθνος βάρβαρον ὃν ⟨ἦλθεν addo⟩, *οὗ ἐβασίλευε Δαῦνος, ὃς πολιορκούμενος ἐδεήθη Διομήδους βοηθῆσαι αὐτῷ, ὑποσχόμενος δώσειν αὐτῷ τῆς γῆς μέρος. ὁ δὲ βοηθήσας καὶ νίκην παρασχὼν Δαυνίοις ἔκτισε πόλιν Ἀργυρίππαν, ἤτοι Ἵππειον Ἄργος*[1]). [*ὕστερον δὲ ὁ Δαῦνος αἵρεσιν αὐτῷ ἐδίδου, εἰ βούλοιτο ἢ ὅλην τὴν λείαν λαβεῖν τοῦ πολέμου ἢ τὴν γῆν ἅπασαν. κριτὴς δὲ αὐτῶν γέγονεν Ἄλαινος, ἀδελφὸς νόθος τοῦ Διομήδους, ἐρῶν Εὐίππης τῆς τοῦ Δαύνου θυγατρός· ὃς ἔκρινε τὸν Δαῦνον ἔχειν τὴν γῆν, Διομήδην δὲ τὴν λείαν λαβεῖν τοῦ πολέμου. ἐφ' ᾧ ὀργισθεὶς Διομήδης κατηράσατο μὴ δύνασθαι σπείρειν τὴν γῆν, τὴν δὲ μὴ σπειρομένην ἀναδιδόναι καρπόν, εἰ μή τις αὐτὴν σπείρῃ τῶν αὑτοῦ συγγενῶν ἢ συμπολιτῶν, καὶ μετακινῆσαι τὰς στήλας αὐτοῦ μηδένα δύνασθαι.*] *ὕστερον δὲ ὁ Διομήδης πρὸς τοῦ Δαύνου ἀνῃρέθη, οἱ δὲ φίλοι αὐτοῦ θρηνοῦντες αὐτὸν μετεβλήθησαν εἰς ὄρνεα ὅμοια κύκνοις.*

Integrum locum exscripsi (praeter ea, quae Tzetzes in fine de harum avium natura e Lycophrone elicuit), quo facilius eius indolem perspicias. Namque in priore narrationis parte, quae deest in schol. Marc., Veneris mentionem ex Mimnermi versione illatam esse apparet. Sequentia autem ex eodem fonte fluxisse nequeunt, ubi non posteriore quodam tempore (*ὕστερον δὲ* . . .), sed eadem nocte, qua ad deae aram confugerat, patriam reliquit[2]). Deinde quam inscite tota de Alaeni arbitrio

1) Alterum urbis nomen Tzetzes ex Lycophr. v. 592 inseruit, melius schol. Marc.: *ἔκτισε πόλιν, ἥντινα Ἵππιον Ἄργος ἐκάλεσεν.*

2) Schol. 610: *τον δὲ καταφυγόντα εἰς βωμὸν τῆς Ἥρας διὰ νυκτὸς φυγεῖν σὺν τοῖς ἑταίροις.*

fabella (*ὕστερον δὲ — δύνασθαι*) genuinus rerum conexus perturbatus sit, in aprico esset, etiamsi Lycophronis versus, ex quibus eam inculcavit, non manibus teneremus. Qui enim, postquam Diomedes promissam terrae partem possedit urbemque in ea condidit, novum de praemio discidium oriri potuit?

Quae autem loco sic perpurgato restat narratio, non ex Lycophrone expressa est, quod apud hunc Diomedes comites in aves mutatos ipse etiamtum videt (*ἰδὼν* v. 594), cum in scholio sodalibus mortem Diomedis deflentibus hoc portentum acciderit. Atque haud scio an ea vestigia quaedam elocutionis Apollodori retineat, cui hanc fabulam non ignotam fuisse ex Aegialeae mentione (c. XXII 4) scimus. Quae cum ita sint, hanc relationem quondam in bibliotheca exstitisse non sine magna veritatis specie statuere mihi videor.

Multo confidentius de Philoctetae erroribus iudicare licet; de quo cum nihil attulerint scholia Marciana, Tzetzes (in v. 911 p. 871) haud exiguam partem uberioris nostorum descriptionis inseruit, ubi praeter alios etiam eorum in mentionem incidimus, qui in Cyprum et *πρὸς τὰς πλησίον Ἰβηρίας νήσους* pervenerunt. Tzetzae verba haec sunt:

Μετὰ δὲ τὴν Ἰλίου πόρθησιν Μενεσθεὺς Φείδιππός τε καὶ Ἄντιφος καὶ Ἐλεφήνωρ (lege *οἱ Ἐλεφήνορος*) *καὶ Φιλοκτήτης μέχρι Μίμαντος κοινῇ ἔπλευσαν. εἶτα Μενεσθεὺς μὲν εἰς Μῆλον ἐλθὼν βασιλεύει, τοῦ ἐκεῖ βασιλέως Πολυάνακτος τελευτήσαντος. Ἄντιφος δὲ ὁ Θεσσαλοῦ εἰς Πελασγοὺς ἐλθὼν καὶ τὴν χώραν κατασχὼν Θεσσαλίαν ἐκάλεσε. Φείδιππος δὲ μετὰ Κώων ἐξωσθεὶς περὶ τὸν Ἀδρίαν, εἶτα περὶ Κύπρον, ἐκεῖ κατῴκησαν. Ἐλεφήνορος δὲ ἀποθανόντος ἐν Τροίᾳ*[1]) *οἱ σὺν αὐτῷ ἐκριφέντες περὶ τὸν Ἰόνιον κόλπον Ἀπολλωνίαν ᾤκησαν τὴν ἐν Ἠπείρῳ. καὶ οἱ τοῦ Τληπολέμου προσίσχουσι Κρήτῃ, εἶτα ὑπ' ἀνέμων ἐξωσθέντες περὶ τὰς Ἰβηρικὰς νήσους ᾤκησαν . . . .*[2]) *οἱ τοῦ Πρωτεσιλάου εἰς Πελλήνην ἀπερρίφησαν πλησίον πεδίου Κανάστρου. Φιλοκτήτης δὲ ἐξώσθη εἰς Ἰταλίαν πρὸς Καμπανούς, καὶ πολεμήσας Λευ-*

1) Conf. Hom. Δ 463 ss.

2) Omitto, quae de ludis a Tlepolemi uxore instauratis *ἐν ταῖς Πινδάρου ἱστορίαις* se invenisse Tzetzes affirmat.

κανοὺς πλησίον Κρότωνος καὶ Θουρίου Κρίμισσαν κατοικεῖ· καὶ πανθεὶς τῆς ἄλης Ἀλαίου Ἀπόλλωνος ἱερὸν κτίζει, ᾧ καὶ τὸ τόξον αὐτοῦ ἀνέθηκεν, ὥς φησιν Εὐφορίων. [*οὑτωσὶ δὲ ὁ Φιλοκτήτης ἀναιρεῖται· πρὸ γὰρ τοῦ πορθηθῆναι τὸ Ἴλιον ἐκ Πελλήνης Ἀχαϊκῆς πόλεως τινὲς ἐλθόντες εἰς Ἰταλίαν κατῴκησαν. μετὰ δὲ τὴν Ἰλίου πόρθησιν πλέοντες οἱ Ῥόδιοι ἦλθον ἐκεῖσε καὶ ἐπολέμησαν πρὸς τοὺς ἐκ Πελλήνης μετοίκους, οἷς Ῥοδίοις βοηθῶν Φιλοκτήτης ἀναιρεῖται.*]

Huius narrationis extremam partem a Tzetze additam esse ipsa verba indicant, qui eam ex Lycophronis vv. 919 ss. derivavit. Pari modo quod antecedit Euphorionis fragmentum [40 Mein.] de aede Apollini a Philocteta consecrata arcuque ibi deposito fortasse cautius ab Apollodori textu segregabimus, quamquam poetae Chalcidensis alia vestigia mox apud mythographum nostrum reperiemus (§ 28, 4). Reliquum autem fragmentum satis amplum in bibliothecam recipere nullus dubito. Ceterum hic non diutius morabor in singulorum erroribus exponendis, de quibus vetera testimonia multis modis inter se differentia diligenter collegit Stiehlius (Philol. X p. 151 ss.).

Denique in Italiam etiam Phocenses delati sunt, Schedii et Epistrophi comites, Lycophr. v. 1067 ss. Tzetz. p. 922: *Ναυβόλου*[1]) *παῖς Ἴφιτος, οὗ παῖδες Σχέδιος καὶ Ἐπίστροφος, Φωκέων ἡγεμόνες, οἵτινες ἀνῃρέθησαν ἐν Τροίᾳ. μετὰ δὲ τὴν ἅλωσιν τῆς Ἰλίου οἱ σὺν αὐτοῖς περὶ τὴν Ἰταλίαν ἐξώσθησαν καὶ ᾤκησαν κτίσαντες τὴν Τέμεσσαν.* Haec incaute in angustum cogens scholiographus Marcianus ipsos duces comitum loco induxit: *ἔνθα μετὰ τὴν ἅλωσιν τοῦ Ἰλίου Σχέδιος καὶ Ἐπίστροφος οἱ τοῦ Ἰφίτου τοῦ Ναυβόλου παῖδες ᾤκησαν.*

C y p r u m insulam qui appulerint, quinque[2]) enumerantur a Lycophrone (447—591) Teucer Agapenor Acamas Cepheus Praxander. Atque quae de T e u c r o Tzetzes solus non accedente scholiorum auctoritate perhibet, tam breviter atque plane

1) Lycophr.: *τῶν Ναυβολείων δ' εἰς Τέμεσσαν ἐγγόνων ναῦται καταβλώζουσιν.*

2) Urbes a singulis ducibus (praeter Cepheum) conditas vide apud Strabonem XIV p. 682 s.

exposita sunt, ut Apollodori manum agnoscere mihi videar, v. 450 p. 618: *φασὶ γάρ, ὅτι Τεῦκρος προσπλέων Σαλαμῖνι διωχθεὶς παρὰ Τελαμῶνος τοῦ πατρός, ὡς μὴ ἀμύνας Αἴαντι, ἐλθὼν ἐν Κύπρῳ καὶ Σαλαμῖνα κτίσας αὐτὴν ᾤκησε καὶ γήμας Εὔνην τὴν Κινύρου*[1]) *Ἀστερίαν ἐγέννησε.* Cepheum Achaeum et Praxandrum Lacedaemonium, quorum mentionem in Iliade frustra requisiveris, Cyprum pervenisse Philostephanus rettulerat (schol. Marc. et Tzetz. in v. 586, conf. p. 279). Agapenorem non minus quam quos modo commemoravimus Schedium et Epistrophum Helenae procis Apollodorus (III 10. 8) addidit. De Acamante statim videbimus.

Siciliam ea aetate, qua Achivi Troia redeuntes remotissimas regiones adisse ferebantur, colonis Graecis nondum patuisse locupletissimi testes sunt Ephorus apud Strab. VI p. 267: *φησὶ δὲ ταύτας* (scil. *Νάξον καὶ Μέγαρα*) *Ἔφορος πρώτας κτισθῆναι πόλεις Ἑλληνίδας ἐν Σικελίᾳ δεκάτῃ γενεᾷ μετὰ τὰ Τρωικά· τοὺς γὰρ πρότερον δεδιέναι τὰ ληστήρια τῶν Τυρρηνῶν καὶ τὴν ὠμότητα τῶν ταύτῃ βαρβάρων, ὥστε μηδὲ κατ' ἐμπορίαν πλεῖν* (conf. Diod. V 6), et Thucydides VI 3, 1: *Ἑλλήνων δὲ πρῶτοι Χαλκιδῆς ἐξ Εὐβοίας πλεύσαντες μετὰ Θουκλέους οἰκιστοῦ Νάξον ᾤκισαν.* Quamobrem non miratus sum, quod unum tantum vestigium repperi coloniae Graecae Troicis temporibus illic deductae Strab. VI p. 272: *τὴν δὲ Αἰγεσταίαν κτισθῆναί φασιν ὑπὸ τῶν μετὰ Φιλοκτήτου διαβάντων εἰς τὴν Κρωτωνιᾶτιν, καθάπερ ἐν τοῖς Ἰταλικοῖς εἴρηται, παρ' αὐτοῦ σταλέντων εἰς τὴν Σικελίαν μετὰ Αἰγέστου τοῦ Τρωός.* Haec ex Apollodoro *ἐν τοῖς περὶ νεῶν* petita esse elucet ex Strab. p. 254; unde fortasse etiam in bibliothecam derivata sunt. — Qui autem ad Sangarium fluvium pervenerint, i. e. ad populos cum Priamo foederatos — nam hic quondam Otreo, Phrygum regi, contra Amazones *παρ' ὄχθας Σαγγαρίοιο* auxilio venerat (Hom. *Γ* 184 ss.), atque ipsam Hecubam Sangarii filiam fuisse nonnulli referebant (Apollod. III 12. 5, 2) — investigare non potui.

Iam vides, quam amplam fabularum Apollodorearum va-

1) *Κινύρου* emendavit Stiehlius (coll. Paus. I 3, 2), Philol. X p. 157 adn.: *Κύπρου* codd.

rietatem ex brevissima epitomae adnotatione (c. XXIII 1) elicere nobis contigerit. Harum ex copia epitomator paucas quasdam sibi elegit, quas propter speciosam versionum raritatem atque singularitatem uberiore enarratione dignas esse duxit.

§ 28.

DEMOPHON. PODALIRIUS. AMPHILOCHUS. LOCRENSES.

(cap. XXIII 2—9.)

1. Thesei filios post bellum Troianum Athenas revertisse vulgaris erat vetustioris historiae fabularis opinio, ut fabulae de Palladio Troiano et de Orestis expiatione demonstrant. Sed longe ab hac versione recedit nostra de Demophontis aut Acamantis in Phyllidem amore. Nam quae hic et apud Ovidium (Her. 2, Ars. am. III 37 s.), Hyginum (f. LIX et CCXLIII), Servium (ad Verg. ecl. 5, 10) de Demophonte narrantur, ea Lucianus (de salt. 40) et, quod maxime mireris, Tzetzes in Lycophr. v. 496, ubi in rebus atque verbis Apollodorum diligenter expressit, de Acamante proferunt. Haud dubie Apollodorus eadem ab aliis Acamanti adscribi monuerat, id quod Tzetzes suum in usum sic convertit, ut incidente apud Lycophronem Acamantis mentione etiam Phyllidis amores solo nomine mutato Apollodori verbis de Acamante enarraret.

Ceterum haec fabula, si qua alia, artis Alexandrinae aperta vestigia ostendit, praesertim si respicis additamenta aetiologica, quae accedunt ex Ovidio Hygino Servio. Ac profecto Callimachum constat enarrasse infelicem amorem Phyllidis, cuius verba viri docti recte agnoverunt in fr. 505: *νύμφιε Δημοφόων, ἄδικε ξένε.* Acamantem fortasse induxit Euphorio, qui narraverat[1]) eum in Thraciam pervenisse ibique et Munitum filium serpentis morsu vulneratum sepelivisse et Laodicen uxorem terrae hiatu absumptam amisisse (hoc addit Lycophr. v. 497). Cum hac enim versione novi Phyllidis, filiae regis Thracis, amores apte coniunguntur. Quamquam pro certo hoc

1) Meineke, Anal. Alex. p. 97, fr. 55.

venditare nolim, quoniam versus a Tzetze servatos ex continua Acamantis fatorum relatione exemptos esse affirmare non audeo.

2. Deinde in duos duces rursus incidimus, qui iam in Calchantis itinere Colophonio obviam nobis dati erant, Podalirium et Amphilochum. Ex his alterius nomen illic inter Lapitharum duces male infertum esse supra contendimus (ep. c. XXI 25, p. 259), nec non desideravimus adnotationem, quid post Calchantis mortem ei acciderit. Quamobrem Podalirium illius Calchantis expeditionis participem non fuisse, veri simillimum est, sive auctor bibliothecae eum tamquam *προπαρασκευὴν* sequentis historiae de Podalirio inseruit, ut Wilamowitzius (Isyll. p. 50) suspicatus est, sive lector quidam eum superscripsit, qui Podalirium quoque in meridionalem Asiae partem pervenisse meminerat. Statuamus igitur Asclepii filium e Troade statim in patriam redisse, unde Delphicus deus eum rursus emisit, ut patris famam atque artem alienas in terras transferret. Hoc autem oraculum Tzetzes[1]) tam neglegenter exscripsit, ut eius sensum ne expertissimus quidem vates adhuc perspicere posset, ad v. 1047: *οἰκῆσαι πόλιν, οὗ περιέχοντος οὐρανοῦ οὐδὲν δεινὸν πείσεται*; nunc primum, cum ex Apollodoro accedit participium *πεσόντος* ac deinde *τόπον*, vaticinii haud insulsam ambiguitatem cognoscimus.

Sed ne sic quidem adsecuti sumus genuinam huius fabulae formam, quam, ni fallor, Pausanias nobis servavit, III 26, 10: *Ποδαλείριον δέ, ὡς ὀπίσω πορθήσαντες Ἴλιον ἐκομίζοντο, ἁμαρτεῖν τοῦ πλοῦ καὶ εἰς Σύρνον τῆς Καρικῆς ἠπείρου φασὶν ἀποσωθέντα οἰκῆσαι*[2]). Nam non dubito, quin Podalirii reditus in patriam ob id ipsum inter finem belli Troiani et Syrnum urbem conditam sero interiectus sit, ut oraculi Delphici auctoritate nova colonia consecraretur. Contra sepulcrum Podalirii

---

1) Wilamowitzii coniectura, qui Apollodoro haec vindicanda esse divinaverat, nunc egregie confirmatur.

2) conf. Steph. Byz. s. v. *Σύρνα, πόλις Καρίας· ἐκτίσθαι δὲ ὑπὸ Ποδαλειρίου· ἐκπεσόντα γὰρ αὐτὸν εἰς Καρίαν σωθῆναι ὑπό τινος αἰγοβοσκοῦ καὶ ἀχθῆναι πρὸς Δαμαιθὸν Καρίας βασιλέα* e. q. s., quae ex Alexandri Polyhistoris Caricis hausta esse Meinekius coniecit.

non Syrni cernebatur, sed in Italia ad Althaenum fluvium, ubi sanatorium eius nomine insignitum florebat[1]. Qui autem omnium harum fabularum auctores fuerint, erui nequit.

3. Longe aliter ea solvitur difficultas, quae in duplici Amphilochi mentione inhaeret. Hunc enim Calchantis comitem fuisse omnia veterum testimonia[2]), quae ab Hesiodo repetita esse veri simile est, concinunt. Sed is Amphiarai erat filius, ut diserte testatur Strabo XIV p. 642 et Quintus XIV 366; neque dubium est, quin ea quoque, quae praeterea de Mopsi Amphilochique communi fato atque morte afferuntur[3]), ad eundem pertineant. Apollodorus autem hic alterum Amphilochum, Alcmaeonis filium, sic induxit, ut illic Amphiarai progeniem subintellegendam esse certum sit, non curans se alternum fratrum odium atque caedem — nam et Amphilochus et Mopsus ex Tiresiae filia procreati erant — narrare, quod a vetustiore fabulae forma alienum erat. Sed etiamsi in heroibus homonymis, ut in ipsis Amphilochis III 7. 7, 4[4]), distinguendis quandoque bonum dormitasse mythographum sciamus, tamen hic de mera eius socordia cogitari nequit, nam hanc versionem re vera ex aliquo fonte quamvis remoto haustam esse elucet ex verbis scriptoris: *κατά τινας ὕστερον παραγενόμενος εἰς Τροίαν κατὰ τὸν χειμῶνα ἀπερρίφη πρὸς Μόψον· καί, ὥς τινες λέγουσι, ὑπὲρ τῆς βασιλείας μονομαχοῦντες ἔκτειναν ἀλλήλους.*

4. Restat ampla narratio de Locrensibus, qui cum aegre reditus pericula effugissent, ad expiandum Aiacis scelus per mille annorum decursum binas virgines Palladi Iliensi mittere iussi erant. Auctores huius fabulae[5]) laudantur apud

1) conf. Wilamowitz, Isyll. p. 50. Rohde, Psyche p. 173.

2) Herodot VII 91, Strab. XIV p. 642. Quint. XIV 360 ss.

3) Singula vide apud Stollium in Roscheri Lex. myth. I p. 305 s.

4) *καὶ Ἀμφίλοχος* (scil. *ὁ Ἀλκμαίωνος*) *κατὰ χρησμοὺς Ἀπόλλωνος Ἀμφιλοχικὸν Ἄργος ᾤκισεν* (sic rescribo pro tradito verbo *ᾤκησεν*, cum et apud Thucydidem et apud Tzetzen in v. 1047 *ἔκτισεν* exstet). Sed huius urbis conditorem Amphiarai filium fuisse testis locupletissimus est Thucydides II 68.

5) de qua nuper exposuit Haubold, De rebus Iliensium (diss. Lips. 1888) p. 29 ss.

Tzetzen ad Lycophr. v. 1141 Timaeus et Callimachus. Sed ex Timaeo (fr. 66) haud dubie sola adnotatiuncula historica manavit, huic consuetudini circa tempora belli Phocensis finem impositum esse, nam tota descriptionis indoles fontem poeticum eumque Alexandrinum prodit. Ac profecto optio nobis datur inter tres poetas Alexandrinos, qui certatim hanc fabulam excoluerunt. Etenim praeter Callimachi mentionem superest copiosa Lycophronis (1141—1173) descriptio nec non incerti poetae tres versiculi servati a Plutarcho (de ser. num. vind. 12). Atque Callimachi nomen a Tzetze ex scholio Marciano translatum est, ubi ipsa re Lycophronis fere verbis exposita subscriptum est: *ταύτης δὲ τῆς ἱστορίας καὶ Καλλίμαχος μέμνηται*[1]). Hanc brevem adumbrationem Tzetzes suo more Apollodori pannis exornavit, ut de Callimacho narrationis Apollodoreae auctore affirmari nihil queat, etsi Aiacis crimen et mortem ex Aetiis ab Apollodoro expressam esse nobis persuaseramus (conf. p. 242 s. et, 260 s.). Contra memorabilem in modum nostra narratio congruit cum versibus incerti illius poetae, quem Euphorionem fuisse viri docti consentiunt fr. dub. 1 (Meineke, Anal. Alex. p. 165):

> *αἳ καὶ ἀναμπέχονοι γυμνοῖς ποσίν, ἠΰτε δοῦλαι,*
> *ἠοῖαι σαίρεσκον Ἀθηναίης περὶ βωμόν,*
> *νόσφι κρηδέμνοιο, καὶ εἰ βαρὺ γῆρας ἵκοιτο,*

confer Apollodori verba: *τὸ δὲ ἱερὸν ἔσαιρόν τε καὶ ἔρραινον. ἐκτὸς δὲ τοῦ νεὼ οὐκ ἐξῄεσαν, κεκαρμέναι δὲ ἦσαν καὶ μονοχίτωνες καὶ ἀνυπόδετοι.*

Rursus igitur in paucarum paginarum ambitu nitida nobis occurrit historiuncula omnibus indiciis poesis Alexandrinae praedita, quam ex compendio quodam omnium manibus trito derivare vetat fabulae raritas. Atqui certo constat auctorem bibliothecae Euphorionis carmina non magis quam Callimachi ipsum pervolvisse. Ergo, si recte supra (p. 134 ss.) contendimus Callimachea sua Apollodorum ex Philostephani voluminibus

---

1) Hoc referendum est ad finem schol. Hom. *N* 66: *Ἀθηνᾶ δὲ οὐδ' οὕτως τῆς ὀργῆς ἐπαύσατο, ἀλλὰ καὶ τοὺς Λοκροὺς ἠνάγκασεν ἐπὶ χίλια ἔτη εἰς Ἴλιον ἐκ κλήρου παρθένους πέμπειν. ἡ ἱστορία παρὰ Καλλιμάχῳ ἐν α' Αἰτίων* [fr. 13d S.].

recepisse, eadem coniectura etiam in Euphorionis vestigia, quae in epitoma nostra deteximus, valebit.

Ceterum tota haec fabula propterea memoratu est dignissima, quod hic certo testimonio haud spernendi auctoris demonstratur, qua ratione recentioris aevi institutiones a fabulis repeti solitae sint. Strabo (XIII p. 600 s.) enim non ultra Persarum tempora (*Περσῶν ἤδη κρατούντων*) huius moris originem adscendere affirmat; sero igitur huic poenae mille annorum spatium additum est, quod cupide amplexi Ilienses inde demonstrarunt nunquam urbem suam prorsus evanuisse, siquidem paulo post Troiae excidium Locri virgines eo mittere coepissent[1]). Unde apparet, — quod alibi probabili coniectura adsequimur, hic autem certis argumentis firmare possumus — non semper nimis confidendum esse talibus deorum heroumve cultibus, qui venerandae vetustatis indicia prae se ferunt, re vera autem posteriore quadam aetate consecrati pio anachronismo antiquissimis temporibus adscripti sunt.

§ 29.

AGAMEMNON. MENELAUS.

(cap. XXIII 10—15.)

His fabulis reconditioribus nec non recentioribus expositis rediit Apollodorus ad rerum ordinem a Nostorum poeta institutum, apud quem Proclo teste in ultimo libro legebantur: *⟨ἔπει⟩τα Ἀγαμέμνονος ὑπὸ Αἰγίσθου καὶ Κλυταιμνήστρας ἀναιρεθέντος ὑπ᾽ Ὀρέστου καὶ Πυλάδου τιμωρία καὶ Μενελάου εἰς τὴν οἰκείαν ἀνακομιδή*. Ex paucis his verbis, quomodo singula peracta sint, elicere nusquam continget, nisi quod consimilem fuisse Nostorum relationem eis, quae in Odyssea enarrantur, proxime ad verum accedit. Apollodorus autem versiones

1) Etiam de huius tributi fine discrepantia traduntur, nam apud Timaeum usque ad bellum Phocense continuatum est, quo mille annorum decursus non expletur, Plutarchus autem dicit, de ser. num. vind. 12: *καὶ μὴν οὐ πολὺς χρόνος, ἀφ᾽ οὗ Λοκροὶ πέμποντες εἰς Τροίαν πέπαυνται τὰς παρθένους διὰ τὴν Αἴαντος ἀκολασίαν.*

Homericas repudians eam praetulit fabularum formam, quae ex summorum tragicorum operibus petita ipsius temporibus pervulgata erat. Quae enim usque ad iudicium de Oreste in Areopago habitum refert, prorsus conveniunt cum Aeschyli Orestia, vel potius cum universa tragicorum traditione[1]). Deinde breviter ea indicat, quae uberius ex Euripidis Iphigenia Taurica Hyginus (f. CXX) protulit.

Orestes, postquam cum sorore Mycenas revertit, Pyladi Electram in matrimonium dedit, quae vetus erat atque vulgata fabula, a tragicis quoque memorata (v. Eurip. El. 1249, Or. 1658); ipse autem Hermionen uxorem duxit, de qua supra disputavimus (p. 273 ss.). Erigonen, Aegisthi filiam, Orestis non uxorem, sed pelicem fuisse iam Cinaetho rettulerat teste Pausania II 18, 6 [fr. 4 K.]: *Ὀρέστου δὲ ἀποθανόντος ἔσχε Τισαμενὸς τὴν ἀρχὴν Ἑρμιόνης τῆς Μενελάου καὶ Ὀρέστου παῖς. τὸν δὲ Ὀρέστου νόθον Πενθίλον Κιναίθων ἔγραψεν ἐν τοῖς ἔπεσιν Ἠριγόνην τὴν Αἰγίσθου τεκεῖν.* Neque dubium est, quin Apollodorus quoque Orestis filios nominaverit, nam post verbum *τεκνοῖ* aperte hiat oratio. Sic revocamur ad Tzetzae in Lycophr. v. 1374 narrationem multo uberiorem, cuius ea est indoles, ut non modo Hermiones Erigonesque filii afferantur, verum etiam alia multa, praecipue de redeuntis Orestis erroribus, cum epitomae nostrae verbis artissime coniuncta sint. Iam cum lacunosum esse hunc locum excerptorum Vaticanorum modo viderimus, mihi quidem valde probabile videtur haec quoque supplementa magna ex parte Apollodoro reddenda esse. Singula vide in adnotatione ad c. XXIII 12, cui loco Tzetzae scholium subscribendum curavi (p. 75 et 111).

Orestem serpentis morsu in Arcadia diem supremum obisse testatur Asclepiades fr. 15 [schol. Eurip. Or. 1645]. Unde hoc sibi adsumpserit, nescio, nam apud Euripidem (l. l.) Apollo eum per unum tantum annum in hanc regionem relegat, ubi *Ὀρεστεῖον* nomen ab eo accepturum esse vaticinatur. Ceterum, ut in antecedentibus haud pauca poesis Alexandrinae vestigia invenimus, sic in hac epitomae parte omnes fabulae tragicam

1) conf. e. gr. verba *χιτῶνα ἄχειρα καὶ ἀτράχηλον* cum Aesch. Ag. 1336, Soph. (Polyxena) fr. 483, Eurip. Or. 25 (cum scholiis).

originem confitentur, ut de fonte, qualis fuerunt Asclepiadis tragodumena, non possit non cogitari.

Denique ad Menelaum pergit epitomator, quem cum quinque navibus Aegyptum pervenisse iam supra (c. XXI 24) ex bibliotheca, i. e. ex Nostorum argumento exscripserat. Neque facere poterat, quin, cum Helenam a Mercurio Paridi abreptam in Aegyptum transportatam esse antea commemoravisset, hic Menelaum induceret uxorem a Proteo (non a Theoclymeno eius filio, ut in Euripidis Helena) recuperantem, quae haud dubie Stesichori versio erat. Cum Helena igitur Menelaus eodem tempore in patriam rediit, quo Orestes patris caedem ultus erat, de qua temporum computatione convenit inter Homerum (γ 311) et Euripidem (El. 1278 s., conf. etiam Hel. 112).

Hic excisis tribus foliis media in verborum continuatione inexspectatus finis excerptis nostris impositus est, sed magna cum probabilitate conicere licet, quid enuntiato illo a particula καὶ incipiente de Menelao addiderit Apollodorus. Nam ex eius fatis hoc solum relictum est, ut, quo modo vitam finiverit certiores fiamus. Atque iam Proteus ille Homericus (δ 561 ss.) Menelao vaticinatus erat eum non morti occubiturum esse, sed ut Iovis generum a dis immortalibus quondam in campos Elysaeos receptum iri, idemque in Euripidis Helena Tyndaridae Theoclymeno nuntiant.

Huius igitur oraculi eventu exposito Apollodorus Nostorum descriptionem absolverat et ad Ulixis errores perrexit, quorum enarrationem in epitoma Vaticana fortasse frustra requireremus, etiamsi folia ultima nobis non invidisset temporum iniquitas. Nam epitomator, qui Iliadis argumentum consulto neglexit, Odysseae fabulas non minus tritas atque vulgatas copiosius exponere non fecit, credo, operae pretium. Neque unde hanc lacunam expleamus, Tzetzen excitare possumus, qui praeter continuam de Ulixis erroribus relationem ad v. 818 (p. 800—809 M.) etiam singula multa[1]) verbosius ex Odyssea, cuius versus haud raro inserti sunt, repetiit. Sed haud scio an ex eis, quae Zeno-

1) conf. Tzetz. ad vv. 659, 684, 739, 740, 757, 775.

bius multo concinnius, quam Tzetzes ad v. 659, de Polyphemo protulit, eluceat, qua ratione Apollodorus Odysseam excerpserit, I 92: *Ὀδυσσέα γὰρ ἐν τῷ σπηλαίῳ κατασχὼν ὁ Κύκλωψ καὶ τοὺς ἑταίρους αὐτοῦ ἀρξάμενος κατεσθίειν, οἶνον παρ' αὐτοῦ λαβὼν ἔπιε καὶ ταύτην αὐτῷ τὴν χάριν δίδωσιν ὕστατον αὐτὸν καταφαγεῖν. μεθυσθεὶς δὲ μετὰ τὸ πιεῖν καὶ ὑπνώττων παρ' ἐκείνου ἐξετυφλώθη.* Nam haec verba aeque atque omnes Apollodori narratiunculae, quas Zenobii interpolator explicationibus singulorum proverbiorum subscripsit, in cod. B desiderantur.

Multo magis dolendum est, quod nulla nobis datur facultas diiudicandi, num etiam in ultimis fatis Ulixis (*εἰς ὃν αὐτῷ καὶ ἡ ἀρχαιολογία καταλήγει,* Phot.) describendis bibliothecae auctor carminis epici epitomam secutus sit, atque Procli excerpta ex Telegonia supplere liceat.

EPIMETRUM.

PRAEFATIO BORBONICA AD HOMERI ILIADEM.

Codex Neapolitanus bibliothecae Borbonicae II C 32 (nonagesimus primus in Cyrilli catalogo), chartac. saec. XV, constans foliis 372 formae quartae minoris, continet excerpta ex variis scriptoribus. Cuius in fine (fol. 366ʳ—371ʳ) leguntur, ut adnotat Cyrillus: 'Argumenta XXIV librorum Iliadis Homeri, quae cum editis prorsus conveniunt, si excipias argumentum libri primi, incipiens a Divarum lite Paridisque iudicio'.

† *Ἄλφα λιτὰς Χρύσου, λοιμὸν στρατοῦ, ἄχθος ἀνάκτων.*

*Οἱ θεοὶ τοὺς Θέτιδος καὶ Πηλέως γάμους ἦγον ἐν Πηλίῳ
τῆς Θεσσαλίας ὄρει· μόνη δ' ἄκλητος ἦν ἡ Ἔρις, ὡς μὴ
ταράττοι παροῦσα. μηχανᾶται δή τι τοιοῦτον· λαβοῦσα γὰρ
χρυσοῦν μῆλον ἐπιγράφει· Τῇ καλλίστῃ τὸ μῆλον· καὶ φέ-
ρουσα εἰς μέσον ῥίπτει τοῦ συμποσίου. φιλονεικοῦσι δὲ ὑπὲρ* 2
*τούτου Ἥρα καὶ Ἀθηνᾶ καὶ Ἀφροδίτη, καὶ δέονται Διὸς
ὑποστῆναι τὴν κρίσιν. ὁ δ' ἀρνησάμενος Ἑρμῇ προστάτ-
τει πρὸς Ἀλέξανδρον αὐτὰς ἄγειν· ὁ δ' αὐτὸς καὶ Πάρις
ὠνομάζετο, Πριάμου δὲ παῖς ὤν, τοῦ Τρώων βασιλέως, ἐπὶ
τῆς Ἴδης ἐβουκόλει. ἔνθα ἑκάστη δῶρον τῷ νεανίσκῳ πρού-* 3
*τεινεν, Ἥρα μὲν τὴν μεγίστην βασιλείαν, Ἀθηνᾶ δὲ τὸ ἐν
πολέμοις κράτος, Ἀφροδίτη δὲ τὴν καλλίστην γυναῖκα. ἣ
καὶ συνθέμενος τὸ καλλιστεῖον νέμει, καὶ συμπραττούσης τῆς
θεοῦ πλεύσας εἰς Λακεδαίμονα Ἑλένην ἁρπάζει τὴν Μενε-
λάου γυναῖκα· ὅθεν δὴ τὸν δεκαετῆ πόλεμον Ἕλλησί τε καὶ
Τρωσὶ συνέβη γενέσθαι.*

ἃ δὲ ἐστὶν ἐκ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως εἰς τὴν αὐτοῦ διή- 4
γησιν λαβεῖν, νῦν ῥητέον.

---

2. *πυλίω* cod. 12. *ἧραν* cod.

